DE ENUNTIATIS INTERROGATIVIS APUD CATULLUM, TIBULLUM, PROPERTIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OSCARUS WOLFF

SILESIUS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS ET AMANTISSIMIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIETATIS GRATIA D. D. D.

AUCTOR.

Libellos de omnibus fere linguarum Latinae et Graecae rebus grammaticis permultos esse in iisque non paucos, ex quibus ut ex fontibus omnes ii haurire possint, qui ad alicuius veteris scriptoris interpretationem accedant, satis est notum. Ut alios viros doctos, qui plurimum operae studiique in tractandis rebus grammaticis consumpserunt, omittam: A. Draegerus, v. d., eo libro, quem „Historische Syntax der lateinischen Sprache" inscripsit, non neglegendum thesaurum quaestionum grammaticarum composuit. Sed vir ille doctus in illis institutionibus grammaticis nonnullos locos — id quod ex immensa materia, quam tractandam sibi proposuit, facile intellegitur — non satis diligenter cauteque tractasse videtur, omisisse nonnullos, qui quos accuratius consideremus digni sunt. Praeterea cum plerique eorum, qui in quaestionibus grammaticis versati sunt, scholarum rationem habuerint, non est quod miremur illos vv. doctos ut eorum potissimum scriptorum, quos classicos appellamus, loquendi usum eiusque varias structuras exemplis illustrarent et explanarent laudabili contentione elaborasse. Unde factum est ut de proprio dicendi usu cum aliorum tum eius, quae Augustea dicitur, aetatis poetarum, quantum equidem existimare possum, angustius tractatum et disputatum sit. Itaque praesertim cum iam dudum Catullus, Tibullus, Propertius ii auctores sint, ex quorum monumentis ingenii pulcherrimis magnam capio delectationem cumque hos poetas elegiacos, quos diligentissime cognovi neque e manibus dimitto, ex grammatica imprimis et rhetorica ratione perlegerim, mihi non supervacanea atque inutilis videtur quaestiuncula de enuntiatis interrogativis apud illos poetas elegiacos. Illud moneo omnino descriptiones interrogationum, quod sciam, perpaucas esse vel potius nullas. Atque ob eam ipsam causam mihi satis excusationis paratum puto, quod interdum abundanter et copiose de interrogationibus in universum disputavi.

Cum ex Handii Tursellino et Draegeri libro paulo ante laudato tum ex virorum doctorum Dissenii ad Tibullum et Hertzbergii ad Propertium commentariis interdum explanationem atque intellegentiam mihi manasse in re non satis certa et lucida summae laetitiae fateri voluptatique est.

Numeris usus sum editionis Baehrensii, qui bene meritus est de Catullo, Tibullo, Propertio[1]). Verba enim poetarum a corruptelarum sordibus purgavit et multos et pervagatos errores feliciter sanavit, ante omnia autem huius viri docti opera instrumenti critici usus facilior certiorque et plenior factus est. Sed nuperrimum quoque Catulli, Tibulli, Propertii carminum editorem non semper rem acu tetigisse quis est quin intellegat? Equidem non semper huius viri docti lectionem secutus sum, sed, ubi alius codicis aut priorum criticorum et interpretum lectio maiorem probabilitatis speciem sibi vindicare et verior esse videbatur, illam substitui. Quod autem interdum castigator exstiti eorum locorum, quorum lectio usque ad nostram memoriam perducta meo quidem iudicio nisi quadam consuetudine retineri non potuit, benevolum lectorem et oro et obsecro ut mihi ignoscat et censor sit remissior.

Ceterum ingenue fateor in hac quaestione tractanda multum temporis et operae laborisque consumere me coactum esse cum aliis rebus tum propterea quod permulti mihi occurrerunt loci, qui accurate considerandi atque examinandi et critica emendatrice sanandi erant.

In huius quaestiunculae **priore parte** de **grammatica interrogationum forma,** in **posteriore** de **usu rhetorico poeticove** dicam.

---

[1]) Tertium Tibulli elegiarum librum, ut iam Henricus Vossius in Calendario Musarum Goettingensi observavit, non a Tibullo originem accepisse nunc inter omnes constat. In vetere catalogo saec. IX ab Hauptio edito duo tantum genuini Tibulli libri nominantur, postea reliqua quoque carmina nomine tantum Tibulli inscripta cum illis coniuncta et in unum corpus collecta reperimus. Qua de re si quis plenius edoceri cupiat, consulat pag. 5 sq. in dissert. Streiffingeri de syntaxi Tibulliana, Virceburgi 1881.

Pars prior.

Primum de earum, quae absolute positae sunt, deinde de earum, quae pertinent ad aliud enuntiatum antecedens, interrogationum forma grammatica et ratione disseram.

Statim hoc loco commemoro nonnullas interrogationes, quas primo quasi aspectu, cum pendere videantur ex dicendi et interrogandi verbis, ut obliquas censeamus facile adduci possimus, in interrogationum rectarum numero habendas esse. Huius usus exempla apud Catullum et Propertium exstant nonnulla. Rectae interrogationi Propertius praeposuit imperativum verbi dicendi his locis[1]:

,dic mihi': *II, 32, 55: Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum,*
Quae dea cum solo vivere sola deo?

et IV, 3, 23; ,dicite': I, 8, 24; III, 1, 5; ,dic': II, 9, 28. Verbum quaerendi, ubi ipsa quaerentis verba referuntur, interrogationi antecedit apud Propertium, cf. II, 23, 5 et 32, 41, postpositum est apud Catullum[2]), cf. 67, 17 et 72, 7.

In Tibullianis et Pseudotibullianis similia non inveniuntur. Ipse Cicero, ut satis notum est, hoc coordinandi quod dicitur genus cum antiquissimis temporibus tum aetate Plautina longe lateque patens in vivida atque alacri oratione adhibere non veritus est. (Cf. illud: Dic quaeso: Num te illa terrent?) — Sed haec hactenus.

Atque ut primo loco disseramus de interrogationibus rectis, nemo ignorat more antiquitus tradito eas in duo genera distribui: in ea enuntiata, in quibus interrogandi vis posita est in pronominibus, adiectivis, adverbiis, particulis interrogativis et in eas interrogationes, quae sine eiusmodi vocabulo proferuntur.

De interrogationum rectarum forma grammatica.

Breviter afferam, quae *commemoratione digna* mihi videntur de pronominibus, adiectivis, adverbiis, particulis, quibus apud

[1]) Semel idem poeta post ,dic' imper. posuit interr. obl.: IV, 8, 17.

[2]) Simili modo apud Goethium in carminibus, quae „Sonette" nos appellamus, cf. IX init.:

Warum ich wieder zum Papier mich wende?
Das musst Du, Liebster, so bestimmt nicht fragen.

Quamquam hoc loco interrogationis obliquae forma adhibita est.

poetas nostros enuntiata interrogativa expressa sunt et enumerabo exempla huc pertinentia.

quis (qui), quae, quid (quod)[1]: ‚quis' nostri quoque poetae interdum promiscue et substantivi et adiectivi loco usurparunt, ‚quid' autem semper substantivi[2]) et ‚quod' semper adiectivi loco; ‚qui' substantivi loco semel usurpavit Catullus in c. 63 v. 42:

Sed qui se ferro postulet esse parem?

Interrogatio circumscripta est per formulam ‚quis est qui', quae valet ad vim sententiae augendam et amplificandam, cf. Tib. I, 10, 1 et Prop. II, 12, 21. Simili modo Catullus atque alii scriptores ad interrogationem acuendam ‚quid est, cur' formulam usurpant, in c. 14 v. 4 et 5 scripsisse videtur:

Nam quid feci ego quidve sum locutus, cur c. conj.[3])

Cf. etiam locum, qui exstat apud eundem poetam, c. 52, 1 et 4:

Quid est, Catulle? quid moraris emori?[4])

Observes velim etiam pronomen interrogativum cum voce ‚tantus'[5]) coniunctum apud Catullum et Propertium his locis: Cat. 66, 31:

Quis te mutavit tantus dolor?

quam scripturam paulo post accuratius probandam hic ut probatam adpono. Equidem ‚dolor' pro ‚deus' lectionem quae Peiperi ingenio debetur[6]) veram esse censeo. — Prop. I,

---

[1]) Hoc pron. interrog. poetae nostri saepe usurparunt in interr. rhetor., rarius in enunt. vero interrog., cf. Cat. 1 init.; 8, 16 sq.; 10, 31; 22, 12; 18, 5; 40 init.; 45, 25 et 26; 52, 1 et 4; 61, 46 sq.; 63, 55 et 62; 64, 154 sq.; 66, 47; 80, 1; 88, 1 et 3; 100, 5; Tib. I, 2, 77; 3, 23 sq.; 6, 30 et 33; 8, 9 sq. et 61; 9, 39; 10, 33; II, 3, 70; 4, 51; 5, 20; 6, 1; Lygd. eleg. 3, 1 et 11 sq.; 5, 19; 6, 18; Paneg. Mess. v. 39; Sulp. eleg. 2, 7; 4, 20; Sulp. epist. 5, 5; epigr. 1, 17; Prop. I, 2 init.; 9, 9; 14, 15 et 22; 15, 39; II, 4 v. 25, 26, 30; 6, 25; 12, 17; 13, 58; 21, 17; 22, 44; 24, 31; 32, 42 et 55; 33, 17; 34b, 27 sq.; III, 1, 25; 3, 15 et 16; 7, 34; 12, 17; 16, 5 et 19; 18, 11; 23, 22; IV, 2, 1 et 24; 4, 39 et 41; 7, 27 et 28; 9, 39; 11, 11.

[2]) Non repugnare huic legi locum Propertianum I, 18, 9: *Quid tantum merui?* facile intellegitur.

[3]) Cf. Plaut. Men. III, 2, 25: Quid de te merui, qua me causa perderes? Aul. IV, 10, 5: quid ego de te commerui mali, quam ob rem ita faceres?

[4]) Cf. Plaut. Men. V, 1, 709: Quid est? quae te res agitat, mulier? Ter. Adelph. 323: Quid est? quid trepidas? Simili ratione pronomen aut adverbium interrogativum repetitum reperimus, veluti Hor. Epod. VII init.: Quo quo, scelesti, ruitis? Mart. Epigr. XI, 1 init.; X, 41, 3: quid, rogo, quid factum est? VII, 86, 3; IX, 25, 3; Theocr. idyll. V, 61: ἀλλὰ τίς ἄμμε, τίς κρινεῖ; — Apud tragicos Graecos saepius ‚τί' repetitur.

[5]) Cf. Verg. Aen. I, 606; II, 42, 282, 594; V, 465; VI, 561; XI, 733; XII, 621.

[6]) Rud. Peiper, Q. Val. Catullus, Beiträge zur Kritik s. Gedichte (Breslau 1875).

18, 9 et III, 7, 14. Ac ne illud quidem omittam, quod legimus apud Tib. I, 4, 3:

Quae tua formosas cepit sollertia? [1])

quod ex more Graecorum breviter dictum est pro: ‚quae est ea sollertia, qua tu formosas capis et tenes?' Cum admiratione quadam causa rei alicuius mirabilis ac ridiculae quaeritur, quod plane atque aperte apparet ex sequenti enuntiato ἀσυνδέτως posito:

certe non tibi barba nitet, non tibi culta coma est sq.

Uno loco ‚quid' neutro genere positum ad subiectum personale referendum est apud Catullum 9, 11:

Quid me laetius est beatiusve?

Hoc loco Catullus superlativi gradum expressit enuntiato interrogativo, in quo pronomen interrogativum cum comparativo coniunctum est. Quod dicendi genus compluries adhibuit, cf. 31, 7; 62 v. 20, 24, 26, 30; 107, 7. Ne unum quidem huius usus exemplum exstat apud Tibullum et Propertium, unum in Sulpiciae epist. 2 v. 3. — In nonnullis interrogationibus apud Cat. et Prop. ‚nisi' positum est post antecedentem interrogationem ad augendam vim negativam, cf. Cat. 29, 1 et 21; 106, 2; Prop. III, 15, 22; IV, 5, 54; 11, 56. In eiusmodi interrogationibus apud Catullum pronomen interrog. aliis verbis interpositis a voce ‚nisi' remotum est, coniunctum pron. interrog. cum voce ‚nisi' apud Propertium ita ut ab iis altera pars pentametri initium capiat.

Huc referendus est locus, qui exstat apud Catullum 29, 15:

Quid est alid sinistra liberalitas?

ubi si illa verba in Germanicum sermonem verteris ‚nisi' omissum esse facile arbitreris. Sed ‚alid' ad antecedentia (cf. vv. 11 usque ad 14) pertinet.

Saepius ‚quid' apud nostros quoque poetas causam designare et finem ita ut ‚cur' particulae munere fungatur vix opus est ut moneamus, cf. Cat. 29, 21; 52, 1 et 4; 64, 116; Tib. I, 2, 100; 8, 23 et 55; 9, 1; II, 2, 10; Lygd. 6 v. 27, 37, 51; Panegyr. v. 147; Epigr. 2, 4; Prop. I, 4, 1; 16, 18; 21, 3; II, 20 vv. 1—4; 32, 3 et 4; III, 1, 13; 7, 16 et 18; 9, 3; 11, 1.

Ceterum vocula interrogativa ‚quid' hoc sensu posita nihil praebet quod memorabile sit, nisi quod Propertius solus eam cum negatione coniunxit aliis verbis inter ‚quid' et ‚non' interpositis (veluti I, 4, 3 et 12, 1) et interrogationibus

---

[1]) Cf. Ovid. Heroid. VIII, 87: Quae mea coelestes iniuria fecit iniquos? cf. etiam Soph. Oed. R init.

usus est a ,nam quid' incipientibus, quae significant negatione praesumpta ea, quae dicta sunt, satis superque esse ut nulla sit causa cur plura adiciantur; cf. III, 11, 27; 19, 17; IV, 2, 41, quem versum cum Leone [1]) sic interpungo:

Nam quid ego adiciam de quo mihi maxima fama est?

eiusdem viri docti sententia probata, ex qua pentameter unius vocalis levi correctione sic legendus est:

Hortorum in manibus dona probate meis.

Addo nunc alia quaedam notanda, quae pertinent ad vocem ,quid' transitioni inservientem. Ad ampliorem interrogationem transitum parat et est urgentis apud Cat. 24, 7 et 67, 37:

Quid? tu isthaec, ianua, nosti?

Nam ,quid', quod omnes boni codices exhibent, reiecta mutatione ,qui' Ellisius iure servasse mihi videtur. Bene quadrat haec lectio in totius loci sententiam cum miratione quadam pronuntiatam. Tibullus hac significatione ,quid' non usurpavit, usurpavit Propertius his locis: II, 8, 21; 22, 29 sq. Huc refero locum, qui reperitur apud Prop. II, 29, 31 vulgata interpunctione commutata. Equidem sic interpungendum esse censeo:

Quid? tu matutinus, ait, speculator amicae
Me similem vestris moribus esse putas?

Qua de re quid sentiam accuratius in posteriore parte dicam.

Apud eundem poetam saepius exstant ,quid si' et ,quid si non' formulae, quibus indicatur urgentis sermo et ad graviora transeuntis, veluti I, 9, 15:

Quid si non esset facilis tibi copia?

II, 9, 29; 18, 5; 34, 11, ubi condicionalis interrogatio sequitur. Praeterea huc spectant apud Catullum 62, 37:

Quid tum, si carpunt, tacita a! quem mente requirunt?

apud Prop. III, 11, 29.

Separatim affero increpandi et obiurgandi formulas, quales sunt apud Cat. 40, 6: *quid vis?* apud Prop. I, 5, 3: *quid tibi vis, insane?* III, 3, 15: *quid tibi cum tali, demens, est flumine?* [2])

Eiusdem fere generis est interrogatio apud Tibullum, si quidem comprobamus, quod Itali scripserunt ,saeve puer' I, 6, 3:

Quid tibi, saeve puer, mecum est?

---

[1]) Cf Leo, Vindiciae Propertianae in Mus. Rhen. Tom. 35, pag. 431 sq.

[2]) Hac formula saepissime Ovidius usus est, cf. e. g. Amor. III, 8, 49; Ars amat. I, 305; Fast. II, 101; Heroid. VI. 47 et 48; Metam. I, 450 et alibi; Mart. Epigr. I, 76, 11; IX, 68 init.; X, 100, 2.

Traditam scripturam ,saevitiae' Baehrensius in textu servavit, sed corruptam esse putat, nescio an recte. Cf. Ovid. Amor. I, 1, 5:

Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris?

qui versus de illo Tibulliano admonet.

Formula ,Quid tibi mecum est' aptior mihi videtur simplicitati Tibullianae orationis, quam illud ,Quid saevitiae'. Saepius Amorem appellari ,saevum' et ,saevum puerum' notum est [1]).

,quid' cum genetivo coniunctum invenimus apud Catullum 28, 4:

Quid rerum geritis? [2])

qualis Catullus tantum in recta interrogatione usus est uno loco: 64, 177:

quali spe perdita nitor?

Idem poeta unus et solus **qui** significatione quae est ,quo modo', ,qua ratione' usurpavit et cum aliqua verbi ,posse' forma coniunxit [3]), 67, 17 et 72, 7:

Qui potis est?

ubi absolute et impersonaliter dictum est ,potis est'.

quo [4]) duobus locis Propertius usurpavit ut significaret ,ad quem usum', ,quam ad rem?', II, 13, 45 et IV, 3, 51:

Nam mihi quo? [5])

ubi [6]) translata et negativa quadam significatione dictum est his locis: Tib. II, 3, 30; Prop. II, 9, 28; III, 11, 67, quam ad rem cf. quae proferam pag. 48.

unde adverbium interr. in rectis interrogationibus apud Prop. invenitur translatum [7]): I, 18, 5; II, 7, 13; 32, 42.

---

1) E. g. cf. Lygd. 4, 65; Verg. Eclog. VIII, 47; Bion idyll. VI init.: Ἔρως ἄγριος. Simonides frg. 42: σχέτλιε παῖ cet.; Mosch. idyll. I, 11: ἄγρια παίσδων. — In Tibulli loco observabis epitheta odiosa, quae Amori attribuuntur, cumulari: ,tristis', ,asper', ,saevus', denique ,insidiosus', quod inest quodam modo in interrogatione per ,an' formata (in v. 3 et 4).

2) Cf. Ter. Phorm. I, 2, 95: quid rei gerit? Etiam in sermone Germanico ,was' interdum genetivum servavit, e. g.: „Was Wunders!" vel „Was Danks habt Ihr davon?"

3) Saepius hac compositione usus est Cicero in interrogationibus, cf. Tuscul. I, 31 extr.; n. deor. I, 11, 25, ib. I, 30, 84; Acad. pr. II, 31, 100 cet.

4) Primitiva significatione invenitur his locis: Cat. 64, 177; Prop. II, 23, 6; 30, 1; IV, 1b init.

5) ,Quo mihi', ,quo tibi' formula usitatissima est; cf. Ov. Ars amat. I, 303; Amor. III, 7, 49; 8, 47; ex Pont. I, 5, 67; Hor. Sat. I, 6, 24; Epist. I, 5, 12; Juv. VIII, 9; XIV, 135.

6) Primitiva significatio huius adverbii interr. invenitur singulis locis apud Cat. 63, 55 et Prop. I, 3, 37.

7) Cf. Hor. Sat. II, 5, 102; 7, 116; Ov. Metam. IV, 373; XV, 821; Heroid. XII, 84; Juv. VI, 373.

Quod attinet ad pronomina interrogativa cum **ec** (quod ex ‚ecce' ortum est) composita, apud Tibullum huius usus exempla non exstant, exstant apud Catullum et Propertium. In eiusmodi interrogationibus semper inest magna vis atque gravitas.

Exempla sunt apud Prop. I, 11, 6:

Ecquis in extremo restat amore locus?

ubi ‚ecquis' adiectivi loco positum est.

‚ecquid' cum genetivo coniunctum est: II, 23, 8:

Muneris ecquid habes? [1])

‚ecquid' adverbialiter usurpatum pro mera interrogandi particula positum est in interrogationibus, quibus animus alicuius ad aliquid convertatur et incitetur, cf. Prop. I, 11 init.; Cat. 88, 4:

Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?

28, 6, ubi ‚nam' intensivum vocabulum adiectum est:

Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum?

Hoc loco post ‚expensum' non comma, ut Baehrensius vult, sed interrogationis signum ponam.

Statim hic reliqua exempla breviter affero, in quibus interrogationibus profectis ex animo magis commoto ‚nam' quasi enclitice adiectum est: Cat. 40 init.; 63, 55; 64, 154; Tib. I, 7, 23; Prop. II, 23, 5; III, 7, 16:

Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?

Non sine effectu positi sunt spondei pede quinto exempto, nam pulchre significant verbi quod est ‚frangere' notionem et crudele ac triste gaudium. Verbum ‚gaudes' perapte mihi tenere videtur medium huius versus.

Cf. etiam Prop. II, 8, 15:

Ecquandone tibi liber sum visus?

Ex grammatica ratione nihil opus erat ‚ne' particulam adicere [2]).

quin singulis tantum locis legimus apud Cat. 76, 11:

Quin tu animum offirmas atque istinc tete reducis . . .

et apud Tib. I, 2, 61:

Quin credam?

In Catulli loco archetypi scriptura, quae ‚qui tui', non ‚qui tu' fuisse videtur, ab Italis in ‚quin tu', a Baehrensio minus recte, si quid video, in ‚quidni' mutata est. Interrogatione vocabulo ‚quin' formata pulchre et suaviter expressa

---

[1]) Cf. Enn.: ecquid erit praemii? Ter. Phorm. IX, 1, 10: ecquid spei porrost?

[2]) ‚quando' in interrogationibus rectis libenter Ovidius usurpavit, ‚ecquando' e. g. ex. Pont. III, 3, 53.

est adhortatio, quae postea magis directe pronuntiatur, ratio plane Catulliana omninoque elegiacorum poetarum propria. Catullus iis locis, ubi ,quidni' posuit, absolute posuit. Praeterea ,quidni' cum coniunctivo potius quam cum indicativo constructum exspectes.

At contra perbene Baehrensius ,quin' ex ,quid' in Tibulli loco modo l. emendasse mihi videtur. Dissenium hunc locum interpretantem sequi non possum.

Nunc accuratius dicamus, quomodo ,cur' particula poetae nostri usi sint.

cur particulam in interrogatione recta et obliqua plane repudiavit Tibullus, Catullus et Propertius usurparunt saepius.

Propertius uno loco **quare** posuit II, 24, 14:

Quod quaeris ,quare?' non habet ullus amor.

Catullus duobus locis (23, 15 et 89, 4) pro ,cur' usurpavit ,quare', quod cum coniunctivo coniunxit, cum et indicativum et coniunctivum posuerit post ,cur' particulam. In interrogationibus rectis idem poeta saepius voce ,cur' quam ,quare' usus est, saepius voce ,quare' quam ,cur', ut infra videbimus, in interrogationibus obliquis.

Semel **quo signo** [1]) posuit simili fere sensu quo ,cur' vel ,quare': 92, 3.

Uno loco, si Baehrensii lectionem sequimur, apud Prop. exstat antiquior scriptura **quor,** II, 6, 37:

Quor igitur tibi custodes per limina ponam?

,cur' particulam ea significatione, quae usitatissima est et frequentissima, i. e. cum quaeritur de causa actionis et de consilio, poetae nostri perraro usurpare solent, cf. Prop. II, 32, 42 et 22, 15 (l. ante l.), ubi eodem modo atque apud Catullum, 6, 13: *Cur?* et 92, 3 (l. ante l.): *Quo signo?* reliqua verba, quae ex antecedentibus facile audiri possunt, ἐλλειπτικῶς omissa sunt, ut tota interrogatio uno vocabulo constet [2]).

Plerumque aliquid obiurgationis, iracundiae, indignationis, reprehensionis inesse videtur in eiusmodi interrogationibus: cf. Cat. 23, 15; 76, 10:

Quare cur te iam iam amplius excrucies?

ubi ,quare' vicem enuntiati consecutivi sustinet ita ut ex sententia praecedente oratio transeat ad interrogationem, i. e.

---

[1]) Simili modo usurpatur absolute: quo consilio? quo fine? (zu was für einem Zweck?)

[2]) Eadem ratione ,cur non' saepius apud Plaut. et Ter. absolute positum invenimus, cf. e. g. Plaut. Pseud. I, 3, 84; Ter. Eun. V, 2, 59; Heaut. I, 1, 111; Andr. V, 3, 10, alibi.

,quod cum ita sit' (cf. 68, 27). Similis locus exstat apud Prop. II, 30, 32, ubi interrogationi enuntiatum per ,quodsi' formatum antecedit. Apud alios non raro ,si' et ,cum' coniunctiones praemittuntur. — Praeterea cf. 89, 4; 115, 3; Prop. I, 16, 19; II, 2, 3:

Cur haec in terris facies humana moratur?

Non sine festivitate, opinor, et iocosa reprehensione; cf. II, 34 init. *(cur non, warum auch nicht?),* quo in loco inesse aliquid reprehensionis increpationisque poetae ipsius mihi videtur. — II, 6, 19 et 37; II, 22, 48; 32, 5 sq.; 30, 32; 33, 16; 34, 1; III, 3, 21; 8, 3.

Ubi negatio ,cur' particulae adnexa est, ,cur (quare) non' Catullus coniunxit (cf. 23, 15; 33, 5; 115, 3), disiunxit Propertius (cf. II, 34, 1 et IV, 7, 31).

Catullus tantum ,cur' cum ,non' et coniunctivo coniunxit et eadem ratione usurpavit, qua ,quidni'. — Uno loco, de quo in posteriore parte mihi dicendum erit, cum indicativo coniunxit non sine indignatione et irrisione, c. 33, 5:

Cur non exilium malasque in oras
Itis? (cf. ,abi in malam rem!')

Interdum interrogationem a ,cur' incipientem multum valere ad dolorem exprimendum et desiderium perspicuo apud Catullum exemplo comprobatur, si quidem vera est Guarini emendatio in c. 66, 93:

Sidera cur retinent?

(,Sidera cur iterent' cod. V) Quod ,me' pronomen omissum est, excusationem habet ex dolore cum indignatione commixto. Bene convenit huic sententiae succedens enuntiatum optativum, ubi recte mea opinione Baehrensius restituit ,ut iam' pro ,utinam'. Cf. praeterea Propert. II, 13, 49:

O mors cur mihi sera venis?

Haec est exclamatio hominis qui significare vult se nimium vixisse [cf. Eurip. Hel. 56: Τί δῆτ' ἔτι ζῶ; (cur igitur adhuc vivo?)].

quidni (i. e. quomodo non? cur non?) Catullus unus ex poetis nostris adhibuit isque duobus tantum locis ut magna cum vi enuntiatum antecedens recta oratione expressum in interrogationis formam converteret cavillationis et irrisionis plenam; verbum non adiecit[1]). Cf. 79, 1:

Lesbius est pulcher: quidni?

et 89, 1.

---

[1]) ,quidni' in maximo usu est apud Senecam, qui saepius hanc vocem cum ,non' coniunxit.

Aliquid rhetorici coloris in se habet hoc ‚quidni' et est vehementer affirmantis. Non male conferre possumus Graecum πῶς οὔ; πῶς γὰρ οὔ; Eandem fere sententiam, quae his locis apud Cat. subiecta est, Propertius, opinor, interrogationis formulis ‚mirum si' et ‚miremur si' cum indicativo expressit.

De una re, quae quamquam in aperto est, tamen potest neglegi, paucis verbis monendum videtur, ne qua particula in hac quaestione praetermittatur.

Verba interrogativa primum enuntiati locum obtinere solent, nisi aliae causae intercedunt, quae vulgaris atque communis verborum ordinis commutationem efficiant. Poetae omnino persaepe verba, quae in soluta oratione ceteris enuntiati particulis antecedant necesse est, post illas posuerunt cum loci sententia tum metro suadente. Etiam nostri poetae in collocandis verbis interrogativis sibi licentiam quandam permiserunt [1]). Qua in re quae cuique poetae propria sint paucis lineamentis adumbremus et exempla huc spectantia afferamus.

Vox interrogativa secundo loco legitur hisce locis: Cat. 22, 12 et 66, 93; Tib. I, 6, 30; 8. 49; II, 3, 30 et 80; 4, 51; 6,1; Lygd. 3, 11; Sulp. epist. 5, 5; Prop. II, 13, 58; 23, 6, 8, 9; 32, 6; III, 11, 67; IV, 3, 51; 4, 41; 7, 28; tertio loco: semel in Sulp. epist 2, 3; numquam apud Tibullum et Cat.; apud Prop. II, 6, 25; 21, 17; 30, 32 [2]); III, 15, 22; IV, 5, 54; quarto loco apud eundem tantum poetam: III, 16, 19 [3]); IV, 2, 24; 11, 56. Observabis Propertium vocem interrogativam in tertium vel quartum locum transposuisse magno cum studio in pentametro post caesuram semiquinariam (cf. II, 30, 32; III, 15, 22; IV, 2, 24; 5, 54; 11, 56).

Ac ne illud quidem omittam quod Catullianae orationis

[1]) In enuntiatis exclamativis apud poetas nostros tales voces raro a suo loco ita removentur ut alia verba iis anteponantur; posita est eiusmodi vocula secundo loco: Tib. II, 6, 13; Prop. I, 1, 38; 18, 23; II, 8, 9; 16, 4; III, 20, 20; tertio loco: Tib. I, 4,27 et 28 (ab ‚quam' particula novus versus incipit); Prop. I, 16, 43; II, 7, 11; quarto loco: Tib. I, 8, 53; Prop. I, 5, 10, ubi ad finem fere pentametri transponitur:

At tibi curarum milia quanta dabit!

Similiter quinto loco Catullus in c. 66, 29:

Sed tum maesta virum mittens quae verba locuta es!

qui solus ex poetis nostris verba interr. perraro adhibuit in exclamationibus (cf. e. g. 8, 15; 31, 4; 64, 97 sq.).

[2]) Cf. Ovid. Amor. III, 3, 16: Alterius meriti cur ego damna tuli? ex Pont. II, 9, 26 et 30; persaepe apud Martialem haec v. interr. collocatio invenitur.

[3]) Eadem collocatio e. g. ap. Martial. Epigr. IX, 3, 7.

in hac re peculiare esse censeo pronomen interrogativum ad extremum fere versum transferri, cf. 10, 31 et 107, 8.

Ex iis, quae attuli, exemplis elucet Tibullum et Propertium verba interrogativa saepius a suo loco removisse, rarissime id sibi permisisse Catullum et Pseudotib. c. auct.

Quoniam de iis interrogationibus quae dicuntur pronominales diximus, deinceps de iis, quibus utrum sit aliquid an non sit interrogatur nobis disputandum est.

Primum dicam de interrogationibus particulis **ne, nonne, num** formatis, deinde de iis, quae **disiunctivae** vocantur, et exponere studebo, quibus condicionibus quaque significatione poetae nostri particulis interrogativis usi sint.

Initium fiat a **ne** particula usitatissima. Cum interrogatione per ,ne' particulam formata efficiatur ut dubitemus utrum sit an non sit quod quaeramus, et affirmativae et negativae responsionis exspectatio in ea inest. Apud nostros quoque poetas, ut omnino, ,ne' particula adicitur plerumque vocabulo in primo enuntiati loco posito. Nonnullis autem locis cum Catullus tum Propertius a communi usu discesserunt, non discessit Tibullus, qui perraro hac particula usus est. Vocabulo secundum enuntiati locum obtinenti ,ne' adiecit Catullus in c. 55, 14:

Tanto ten fastu negas, amice? [1])

Maiorem licentiam sibi permisit Propertius, qui ei voci quae tertium enuntiati locum obtinet ,ne' adiunxit his locis: II, 6, 12:

Ornabat niveas nullane gemma manus?

et III, 16, 5. Breviter attingo eiusdem poetae locum, qui exstat in II, 34, 1, ubi antecedit vocativus:

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?

Eiusmodi interrogationes, quibus simpliciter aliquid quaeritur, apud poetas nostros inveniuntur paene nullae, semel in Sulp. epist. 5, 1:

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
Quod mea nunc vexat corpora fessa calor?

et bis in asseveratione interrogativa apud Prop. III, 6, 9 et 12, ubi immixtae sunt aliis interrogationibus sine interrogandi

1) Perlibenter poetae nostri pronomini personali secundae imprimis personae ,ne' particulam non sine magno admirationis et iracundiae affectu adiunxerunt, veluti Cat. 43, 6; 55, 58; 64, 28 et 29; Tib. I, 9, 67 et 78; Prop. I, 8, 1; II, 34, 9; III, 16, 5; ,ne' perraro additum est verbo, cf. Cat. 9, 3; Sulp. epist. 5, 1; Prop. II, 34, 12; IV, 9, 37; numquam hoc fit apud Tibullum.

nota prolatis. Ne unum quidem huius usus exemplum praebent Catullus et Tibullus.

Plerumque eiusmodi interrogationes apud poetas nostros eandem in se habent vim, quam interrogationes cum affectu quodam prolatae, in quibus interrogandi nota abest, cf. Cat. 9, 3: *Venistine?* — ubi admiratio et laetitia expressa est[1]; 43, 6; 55, 14; 64, 28, 136; 81 init., quem locum totum exscribendum putavi, ut facilius intellegatur, quatenus discedam a Baehrensii et interpunctione in hoc carmine et lectione. Legendum esse puto sic:

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Praeterquam iste tuus moribunda ab sede Pisauri
Hospes inaurata pallidior statua
Qui tibi nunc cordi est, quem tu proponere nobis
Audes? **ah** *nescis, quod facinus facias.*

In extremo versu post ‚audes' interrogationis signo interpungendum et cum veteribus nonnullis editoribus pro ‚et' leni mutatione ‚ah' scribendum esse arbitror. Baehrensius, ut omnes fere viri docti, scripsit: ‚Audes **et** nescis cet.' — Habemus hic interrogationem magno cum affectu pronuntiatam. Vehementer me offendit ‚et' post ‚audes' antecedens nimis ieiune et languide dictum. ‚Ah' est dolentis et proferentis aliquid cum commiseratione et huius loci sententiae peraccommodatum[2]. Poeta enim non sine dolore ac maestitia animadvertit sibi a Juventio praeponi alium, qui ‚pallidior' est ‚inaurata statua', ut ad exclamationem ‚ah nescis' adducatur. Antea conieceram pro ‚et' scribendum esse ‚tu', quod nunc minus mihi placet.

Eiusmodi interrogationum exempla reperiuntur apud Tib. I, 9, 67 et 77 sq.; apud Prop. I, 8, 1; II, 34, 9 et 12;

---

[1]) Cf. Ter. Eun. V, 2, 9. Similiter sine ulla interrogandi nota: Theocr. XII init.: ἤλυθες, ὦ φίλε κοῦρε; Hom. Od. XVI, 23: ἦλθες, Τηλέμαχε, γλυκερὸν φάος; 461; Soph. Oed. Col. 327: ὦ τέκνον, ἥκεις; 329; 1102. — Goethius carmen, quod inscriptum est „Frühzeitiger Frühling" incipit ab eiusmodi interrogationibus:

Tage der Wonne,
Kommt ihr so bald?
Schenkt mir die Sonne
Hügel und Wald?

[2]) ‚Ah' libenter poni videtur cum ante ‚nescire' verbum (iam apud Terentium, cf. Heaut. V, 1, 61: ah nescis, quam doleam; Andr. VI, 1, 25; Ad. VI, 7, 15 cet.) tum ante ‚qui, qualis, quantus, quoties, quam' cet. Cf. apud Cat. 43 extr.

III, 16, 5. Idem poeta interrogationes cum ,ne' particula formatas libenter per tempus futurum profert, velut in lib. I, 16, 21; 17, 7 et 8:

Nullane placatae veniet fortuna procellae?
Haeccine parva meum funus arena teget?

II, 16, 31; ,tantine' Propertius solus usurpavit: III, 12, 3 et 20, 4.

Prope accedunt ad exclamationis vim interrogationes per ,siccine' formatae[1]) et summum doloris affectum exprimunt apud Catullum: 64, 132 sq. et 77, 3. Apud Propertium in voce ,siccine' aliquid inesse videtur, quod sermonem familiarem attingat, cf. II, 15, 8:

siccine, lente iaces?

et III, 6, 9, rarius ironia quaedam veluti apud Cat. 29, 11 et 23[2]).

Quod ad v. 25 eiusdem carminis attinet, legitur apud Baehrensium sic:

Eine Galliae optima et Britanniae?!

Sed fateor non comprobandum mihi videri, quod proposuit vir ille doctus, cum partim a sententia huius loci partim a litterarum vestigiis nimis discedat. Tradita est scriptura:

hunc gallie timet et britannie.

De aliorum conaminibus cf. Baehr. appar. crit. Nuper Schoellius[3]) cum aliorum tum Baehrensii scriptura repudiata et explosa felici acumine suspicatus est scribendum esse:

Nunc Gallia est et ultima Britannia.

Vocabulo ,nunc' in enumeratione rerum [cf. antecedentia] et ascensione ad graviora vel gravissima hoc loco aptius fingi nequit atque omnino sententiam huius loci sagaciter aperuisse Schoellius mihi videtur; attamen etiamnunc remanet scrupulus de primo pede, qui integris huius carminis iambis non respondet.

Semel Propertius interrogationi, quae exclamandi vim in se habet doloris atque acerbitatis plenam, ,ne' adiunxit, ceteris

---

1) Cf. Theocr. idyll. XVIII, 9: οὕτω δή.

2) Versus 23, cuius posterior pars vehementer corrupta est (,urbis opulentissime'), quomodo sit restituendus, valde est incertum. Lachmannus legendum proposuit: ,urbis o piissime', hunc secutus est levi mutatione facta Hauptius: ,orbis o piissimei'; L. Muellerus praebet lectionem: ,urbis o potissimei'; Theod. Heysius: ,urbis oppidissime'; Rud. Peiperus: ,urbis o lentissimei'; Ellisii est conjectura: ,urbis o pudet meae'. Baehrensius denique scripsit ,oro vos levissimei' vel ,oro putidissimei', quod comprobari non posse facile apparet.

3) Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, 1880.

locis eiusmodi interrogationes sine ulla interrogandi particula profert (cf. II, 9, 25; 24b, 17; III, 6, 19), cf. IV, 3, 11:

Haecne marita fides, hae sunt pactae mihi noctes,
Cum rudis urgenti brachia victa dedi? [1])

Etiamsi particula ,ne' non significatur, utrum negationem an affirmationem is qui quaerit exspectet, tamen saepe ex sermonis contextu atque continuatione apparet, utram in partem enuntiatum interrogativum accipiendum sit, ita ut ,ne' pro ,nonne' aut ,num' positum esse videatur [2]).

Brevius per simplex ,ne' pro ,nonne' interrogationem formavit Catullus uno loco: 28, 5:

Satisne cum isto
Vappa frigoraque et famem tulistis?

Similiter in sermone vulgari saepius ,satin' usurpatur. Graeci quoque pro ἄρ' οὐ, ἄρ' οὖν οὐκ adhibuerunt ἆρα et ἆρ' οὖν. Praeterea huc referri potest, quod legimus apud Prop. IV, 9, 37:

Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?

Interrogatio est magnifice se iactantis [cf. etiam v. 39 sq.], quam Germanice non male reddas „ihr habt doch gehört".

viden formula, qua ad rem aliquam contemplandam repente avertimur, paene adverbialiter pro ,en', ,ecce' usi sunt Catullus et Tibullus. Hoc εἶδος ἀποστροφῆς ita adhibent ut neminem certum, sed plures alloquantur hisce locis: Cat. 62, 8:

Viden ut perniciter exiluere?

Tib. II, 1, 25. (Cf. antea ,cernite' imper. apud Cat. v. 6 et apud Tib. v. 15.) — Semel apud Catullum eiusmodi allocutio interrogationis forma induta pertinet ad unam personam, cf. 61, 78.

Simili ratione usurpant Graeci ,οὐχ ὁρᾷς;' De hoc usu infra accuratius agam.

Si ,ne' particula, ut interdum in sermone contracto fit, relativo pronomini adnexa est, pronomen demonstrativum subaudiatur necesse est. Qui usus — Cruquius eum appellat atticismum et ,quine' cum Graeco ,οἵγε' comparat inter-

---

1) Cf. Verg. Aen. VI, 346: ,en haec promissa fides est?' ubi ,en' antecedit ad obiurgationem exprimendam.

2) Cicero pro Mil. XIV uno tenore quinquies interrogationes cum ,ne' formatas usurpavit, ubi ,nonne' exspectamus. Persaepe adhibetur ,itane est?' pro ,nonne ita est?' quod Cicero quoque usurpavit, ut pro Rosc. Amer. XXXIX. Praeterea cf. de fin. V, 18, 48: ,videmusne?' et paulo post ,nonne videmus?' — Apud Plautum pro ,nonne' semper positum est ,ne' auctore Spengelio in libello „die Partikel ,nonne' im Altlatein." München 1867.

pretans ,qui utique, qui certe' — repetendus est ex ellipsi, cum pro ,isne qui' aut ,estne ille qui' Latini dixerint ,quine'. Posteriores scriptores parce admodum usi sunt hoc dicendi genere, quod tritum atque usitatissimum est apud comicos [1]). Huc spectant duo loci apud Catullum: 64, 180 et 183 praemissa interrogatione per ,an' formata. Tibullus et Propertius particulam ,ne' hoc modo non usurpaverunt.

Draegerus l. supra l. ,ne' etiam pronomini interrogativo adici posse censet afferens e. g. locum, qui exstat apud Catullum, 8, 15: *quaene* — sed hoc quidem loco, cuius scriptura in codicibus corrupta exstat, opinio illa confirmari non potest.

Jam antea commemoravi Propertium semel adverbio interrogativo ,ne' cumulate et praeter necessitatem adiecisse (II, 8, 15:
ecquandone tibi liber sum visus?)
cuius usus similia exempla nulla fere inveniuntur apud alios scriptores et poetas. Singularem formam praebet apud eundem poetam locus qui est IV, 7, 15:

Jamne tibi exciderunt vigilacis tecta Suburae
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?

Antecedit interrogatio v. 13 et 14:

Perfide nec cuiquam melior sperande puellae,
In te iam vires somnus habere potest?

Itaque post interrogationem sine particula prolatam aliam cum ,ne' formavit, fortasse non aliam ob causam nisi propter metrum. Hic enim est unus locus in poetarum nostrorum carminibus, ubi duae interrogationes ex maiore animi motu profectae eam praebent formam, ut prior sine interrogationis signo proferatur, ,ne' particula adiciatur posteriori. Ponitur contra apud Propertium ipsum eadem ratione, qua apud Catullum et Tibullum, saepius interrogatio sine particula ,ne' pronuntiata post interrogationem cum voce ,ne' formatam, sive haec semel reperitur sive saepius repetitur, cf. Cat. 43, 6; 63, 58; 77, 3; 64, 132 sq. (,ne' ter repetitum); Tib. I, 9, 67; Prop. I, 8 init.; IV, 3, 11; aut duae vel plures interrogationes per ,ne' prolatae se excipiunt nulla alia interrogatione sequente, veluti e. g. Cat. 64, 28; Tib. I, 9, 78; Prop. I, 17, 7; II, 34, 9 sq.

Transeo nunc ad interrogationes cum voce **nonne** formatas, quae apud Catullum et Tibullum non reperiuntur, reperiuntur

[1]) Cf. Plaut. Mil. I, 1, 13; Merc. III, 3, 12; Amph. II, 2, 65; Bacch. II, 3, 98; Most. III, 2, 50; Curc. V, 3, 27, alibi; praeterea cf. Verg. Aen. X, 673; Hor. Sat. I, 10, 21.

apud Propertium. Vulgaris atque communis notio ‚nonne' particulae subiecta est uno loco, II, 12, 2:

Nonne putas miras hunc habuisse manus?

Semel pro ‚non' interrogante Prop. posuit: II, 34, 10:

Perfide, nonne tuae tum cecidere manus?

Hoc enim loco non ea qua priore loco ratione quaeritur — inepta esset talis percontatio — sed cum admirationis affectu, quod ex toto huius loci contextu luculenter apparet.

Bis positum est ‚nonne', ubi de praeferenda aliqua re agitur: I, 17, 15 sq. [1]) et II, 25, 11 sq. Tota vis ac natura eiusmodi interrogationum inclinat ad alacrem atque vividam asseverationem.

Post ‚quid' rhetoricae gradationi inserviens pro ‚nonne' ponitur ‚non', quo dicendi genere satis vivide exprimitur probatio, cf. apud Catullum 24, 7:

Quid? non est homo bellus?

apud Prop. II, 8, 21; 22, 31:

Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenaeae non timuere rates?

num particula usus est compluribus locis Propertius, perraro Tibullus, semel Catullus. In eiusmodi interrogationibus plerumque negativam exspectari responsionem notum est. Haec significatio subiecta est enuntiatis interrogativis apud Tibullum, cf. I, 2, 81 sq.:

Num Veneris magnae violavi numina verbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit? cet.

In v. 82 ‚num' lectio, quam novissimus quoque editor in textum recipere non dubitavit, comprobari nequit. Tam duram atque asperam verborum coniunctionem, qualis est ‚et num' vix solutae orationis scriptores usurpaverint, nedum poetae. Melior certe est ‚nunc' lectio codicis A, qui, Italorum coniecturis emendationibusque non immutatus, lectiones archetypi satis pure atque incorrupte servavit. Quo in loco tractando libenter secutus sum E. Hillerum diserte disputantem de codice A in Musei Rhenani vol. XXXVII, pag. 567—576. Praeterea cf. Tib. I, 8, 17 sq.; Prop. II, 24, 10; III, 6, 3.

[1]) Quod apud Propertium h. l. unius interrogationis ambitu inclusum est ‚nonne fuit levius cet., quam' id Vergilius in duas interrogationes dissolvit per se positas, cf. Aen. X, 59, ubi interrogationi a ‚non satius' incipienti praecedit alia cum ‚quid iuvat' formata, ex qua apparet oppositio. Cf. etiam Verg. Ecl. II, 14.

Prior interrogatio per ‚num', posterior per ‚an' formata est apud Propertium tantum his locis: I, 12, 9[1]) et II, 28, 9.

Idem poeta ‚num minus' posuit duobus locis, ubi negativa responsio exspectatur, ita ut illa verba idem valeant quod recta oratione ‚non minus' vel ‚item': II, 22, 30 et IV, 11, 13[2]).

Catullus ‚num' adhibuit ad rem cum acerbitate atque ironia proferendam, cf. c. 60. Eadem sententia acriore forma expressa est in c. 64, v. 154 sqq. — Sed etiam, si ex argumento verborum apparet, de affirmativa potius quam de negativa responsione cogitare eum qui quaerit, Propertius ‚num' particula usus esse videtur, cf. II, 3, 23:

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Candidus argutum sternuit omen Amor?

Poetam affirmativam exspectare responsionem versus proxime sequentes satis clare demonstrant. — Ne eo quidem eiusdem poetae loco qui est in lib. IV, 3, 23 et 24:

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis inbelles atterit hasta manus?

responsionem negativam exspectari apparet.

Denique, si plurimorum editorum lectionem sequimur, huc referendus est locus qui exstat apud Prop. II, 30, 19:

Num tu, dura, paras Phrygias nunc ire per undas cet.

‚Nunc' (quod in ‚num' immutavit Scaliger) ‚tu dura paras' habet cod. O, ‚non tamen immerito' N, a cuius corrupta lectione in restituendis verbis proficiscendum esse nonnulli viri docti arbitrantur, negavit nuper Ricardus Solbisky in dissert. Jenens. II p. 174, nescio an non recte. Si poeta ‚num' scripsit, gravi vituperationi exprimendae inservire hanc interrogandi formam apparet.

Restat ut de eo interrogationum rectarum genere dicam, quod circumplectitur interrogationes, quae **disiunctivae** vocantur.

Perpaucae sunt interrogationes apud poetas nostros, in quibus propria ac singularis vis disiunctionis cernitur. Earum, quae per **utrum** — **an** formantur interrogationum ne unum

---

[1]) Cf. ad interrog. cum ‚num' formatam: ‚num me deus obruit?' Theocr. idyll. XX, 20: ἀρά τις ἐξαπίνας με θεὸς βροτὸν ἄλλον ἔτευξε; Cf. etiam Theocr. II, 20 et III, 8.

[2]) Ovidius saepius usurpavit ‚num minus', cf. Fast. I, 526; III, 6; Trist. I, 274; II, 106; V, 6, 28; Heroid. XI, 19; ceterum cf. totum locum a v. 17 usque ad v. 20, ubi poeta Propertium imitatus esse videtur; Heroid. XVI, 230; XVII, 174.

quidem exemplum exstat, apud solum Catullum forma **ne** — **an** invenitur, cf. 64, 178 sq.:

Idmeneosne petam montes?
An patris auxilium sperem?
Coniugis an fido consoler memet amore? [1])

ubi ex bimembri interrogatione facta est multiplex disiunctio, quare ,an' bis positum est. Observes velim ,an' in v. 180 secundum enuntiati locum tenere, id quod aliis locis apud poetas nostros non reperitur [2]).

anne pro ,an' item Catullus solus adhibuit ad secundariae interrogationis partis vim acuendam: 66, 15 et 25.

Postquam genuinam disiunctivae interrogationis formam a Catullo solo usurpatam commemoravimus, accuratius de **an** particulae usu apud poetas nostros nobis dicendum erit.

,an' particulam interrogativam, quae semper antecedentia respicit et disiunctioni exprimendae inservit, in enuntiatis interrogativis et rectis et obliquis locum tenere inter omnes constat. Neque minus notum est ,an' saepe ita poni ut antecedat non alia interrogatio, sed affirmatio: de cuius usus vi ac sententia cf. Madvig Lat. Sprachlehre § 453.

Interrogatio per ,an' prolata cum alacritate atque admiratione, apud Propertium etiam interdum cum simulatione, usurpatur ad affirmandam eam quae antecedit sententiam. Is qui quaerit negando responsum iri exspectat. Interpositum ,vero', quod alii saepius usurparunt, ad interrogationis vim acuendam nostri numquam adhibuerunt. Cf. Cat. 66, 27:

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta's
Coniugium, quo non fortius ausit alis?

Prop. II, 18^b, 31:

An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?

II, 33, 26.

Idem poeta solus vehementius probandi genus per ,an quisquam' Romanis valde adamatum adhibuit: II, 25, 23 et 32, 41.

Coniunctivum, qui in eiusmodi interrogationibus apud Catullum et Tibullum non exstat, posuit Prop. magno cum affectu: I, 6, 13 et II, 14, 30.

---

[1]) Cf. ad totum hunc locum a v. 177 Eurip. Med. 502 sq.
[2]) Cf. Ovid. Trist. III, 1, 44; ex Pont. II, 9, 84; Juven. Sat. VI, 61.

Recta oratione praemissa ‚an' per coniecturam ex antecedentibus profectam posuerunt rarius, veluti Cat. 80, 5; Prop. II, 33, 13; III, 23, 13.

Apud Tibullum: I, 7, 13 unum exstat exemplum, ubi ‚an' usurpatum est in vivida transitione ad graviora.

Enuntiatio interrogativa, qua quid vel cur aliqua res sit continetur, raro apud poetas nostros praemissa est, cf. Tib. I, 6, 3; in Sulp. epist. 2, 3; Prop. I, 18, 10. Cf. etiam IV, 1, 122:

Mentior? an patriae tangitur ora tuae? [1])

Interrogationem sine interrogandi signo prolatam alia sequitur per ‚an' formata ad confirmandum quod antecedentibus continetur.

an quod, an quia formulae adhibentur in proponendis causis. Praecedit alia interrogatio, ex qua oppositum ‚utrum quod (quia)' facile subintellegi potest; ‚an quod' reperimus apud Catullum 66, 31:

Quis te mutavit tantus dolor? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse valent? [2])

an quia' legimus apud Propertium I, 18, 17:

An quia dura damus mutato signa calore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?

Observabis interrogationi per ‚an' formatae aliam per ‚an quia' pronuntiatam adnexam esse multis verbis — explent sex versus — interpositis, cf. v. 10:

An nova tristitiae causa puella tuae?

Duo enuntiata in unum coaluisse videntur: Tu tristis es. An quod amo novam puellam? i. e. suntne aliae causae tristitiae tuae an quod?

an ut semel apud Catullum reperitur alia interrogatione praemissa eadem fere ratione, qua ponitur ‚quo consilio? an eo consilio ut?' cf. 40, 5.

Apud eundem poetam solum reperire potui ‚an non', cf. 37, 6, ubi inter ‚an' et ‚non' enuntiatum causale intercedit.

Alia quaedam notanda afferam.

---

1) Simili modo saepius apud Ovidium, cf. e. g. Amor. III, 1, 34: fallor? an cet.

2) Probabiliter enim a Peipero ‚deus' in ‚dolor', a Baehrensio ‚volunt' in ‚valent' mutatum esse censeo. Cf. Propertianum illud ‚tantus in erepto saevit amore dolor.' — ‚valere' c. inf. saepius nobis occurrit, cf. e. g. apud Hor. Od. I, 34, 12; Epod. XVI, 13; Sat. I, 1, 14; Ars poet. 40; auct. Paneg. Mess. 55; Ovid. Met. XIII, 393; Prop. I, 14, 7, alibi.

Si interrogatio ab ,an' incipiens sequitur aliam, in qua ,num' particula aut ,ecquis' pronomen posita sunt, disiunctivam quae vocatur interrogationem non statuendam esse omnes sciunt. In eiusmodi interrogationibus is qui quaerit ex sua sententia proponere et praesumere videtur probabile ac verum esse, quod secunda interrogationis parte expressum sit ita ut haec iudicii occupatio ad affirmationem deflectat. Interrogationes huc spectantes in Propertii tantum carminibus reperiuntur: I, 11, 6; 12, 9; II, 8, 15; 28, 11.

Item solus Propertius post interrogationem, cui ,ne' particula adnexa est, posuit aliam ab ,an' incipientem. Posterior, in qua oratio ampliorem quodammodo spiritum assumit, non sine gradatione sententiae antecedentis interrogationis efferri solet, cf. I, 8 init.; 17, 12 (cf. v. 7 et 8); II, 16, 32; quibus in locis inest vis vehementius instandi. — Similis est locus, qui exstat apud Catullum 29, 16:

Parum expatravit an parum elluatus est?

In ,parum' vocabulo tota vis inest, quod elucet ex versibus proxime sequentibus, quibus poeta docet quot quantaque sint bona consumpta et perdita. Eiusmodi interrogationes quamquam disiunctionis formam praebent, tamen non vere disiunctivae habendae sunt, cum in iis disiuncta videantur quae non sibi contraria sunt.

Postquam de interrogationibus, quae incipiunt a pronominibus, adiectivis, adverbiis, particulis exposuimus, accedamus ad ultimum quod commemorandum restat et consideremus interrogationes sine ulla interrogandi nota prolatas.

a) Interrogationes sine ulla interrogandi nota pronuntiatas eodem modo, quo comici, ubi is qui interrogat id quod nescit vel certe quod nescire adhuc se simulat sciscitatur — quae verba sunt Holtzii eo libro, quem scripsit de syntaxi scriptorum Romanorum usque ad Terentium — poetae nostri numquam adhibuerunt, nisi forte huc referendus est unus locus, qui exstat apud Catullum 55, 17:

Nunc te lacteolae tenent puellae?

Ex antecedentibus et sequentibus apparet hanc fere esse sententiam: Si nunc lacteolae puellae te tenent, dic nobis, nam verbosa gaudet Venus loquella.'

b) Eiusmodi interrogatione, in qua interrogandi nota abest, semel Propertius usus est ea ratione ut ei subiceret magis enuntiati interrogativi, quod appellare possumus Germanice „fragende Behauptung" quam merae interrogationis vim, cf. III, 6, 10 sq.;

quo in carmine poeta interrogat id quod iam scit quodque denuo affirmatum vult ut certius sententiam sciat. Subintellegi potest ‚igitur, quemadmodum tu dixisti'[1]).

Apud Catullum et Tibullum huius usus exempla non exstant.

c) Omnibus aliis interrogationibus, in quibus interrogandi nota omissa est, vehementior animi affectus et motus continetur. Quod interrogandi genus in Propertii imprimis carminibus persaepe adhibitum esse, numquam fere apud Tibullum, nemo, credo, erit qui miretur.

Satis sit brevibus verbis monere illud in Propertii carminibus — amatoria perpulchre Ovidius appellat ‚ignes' — ut teneamus discrimen, quod rhetores Graeci fecerint inter ἦθος et πάθος — omnino πάθος vel affectus concitatos praevalere, ἦθος vel mites dulcioresque affectus in Tibulli carminibus, qui simplicitatem valde adamaverit. Apud Propertium in eiusmodi interrogationibus inest propria vis atque gravitas. Perturbationum enim vim et contentionem, quam ipse senserit, nobis praebet poeta, unde facile repetere possumus nervos et quasi aculeos, qui saepius insunt in his interrogationibus. Ea tantum exempla, quae ex hoc genere maxime notanda mihi videntur, singillatim commemoro, breviter afferam cetera.

Eiusmodi interrogationes cum affectu prolatas, in quibus verbi ‚putare' vel ‚credere' secunda persona proprium locum habet[2]), Catullus adhibuit compluribus locis in opinionis vel persuasionis errore praedicando, veluti 12, 4:

Hoc salsum esse putas?

16, 12; 37, 11; 104 init.

Apud Propertium usitatae sunt interrogationes a pronomine demonstrativo primae personae incipientes, in quibus doloris, irae, indignationis, obiurgationis aliquid inesse videtur; cf. II, 5 init.:

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare?

II, 9, 23, qui locus interrogative efferendus est:

Hic etiam petitur, qui te prius ante reliquit?

---

1) Mihi certe haec ratio carminis explicandi vera esse videtur.

2) Martialis quoque eiusmodi interrogationes amasse videtur. cf. e. g. II, 4. 6; 26, 3; III, 62, 7; VI, 56, 2; VII, 31, 6; IX, 41, 3; X, 76, 1.

Vulgo ponitur punctum post ‚reliquit'. Accuratius disputabo de hac re in posteriore parte. — III, 6, 19; IV, 7, 33 [1]); II, 24b, 17:

Hoc erat imprimis quod me gaudere iubebas? [2])

Apud eundem poetam proprium locum obtinent in simulatione interrogationes, quales sunt, II, 3, 33:

Hac ego nunc mirer si flagrat nostra iuventus?

8, 40; III, 2, 7.

Illud quoque Propertianae orationis peculiare esse censeo quod saepius ‚posse' verbum adhibetur in interrogationibus indignationis atque irae plenis, cf. I, 8, 5; 13, 14:

Me quaeso teste negare potes? [3])

Porro cf. II, 8, 5; 15, 37; 20, 28; 30, 19; III, 6, 21; 12, 1; IV, 7, 14.

Alia exempla eiusmodi interrogationum, quae cum concitatione animi proferuntur, exstant apud Cat. 47, 3 sq.; 63, 68 sq.; 97, 9; apud Lygd. 6, 57; in Sulp. epist. 3, 1:

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?

Sulpicia cupiditate flagrans aliquid novi nuntiandi Cerintho, quod eius auribus gratum sit, interrogat exspectans illum negaturum esse ut haec interrogatio idem significet ac ‚iam scis?' vel recta oratione expressum ‚certe non scis'. Animi laeti affectum non male significat breviloquentia, res enim ipsa est posita pro eius cogitatione, nam sensus est: scis curam de itinere suscipiendo sublatam ex animo puellae?

Simile quid alibi apud nostros non reperitur.

Apud Tibullum duobus tantum locis eiusmodi interrogationes reperiuntur eaeque ironice usurpantur: I, 9, 70 et II, 6, 3.

Denique cf. Prop. II, 18b, 23; 24b, 22:

Ille tuus pennas tam cito vertit amor? [4])

II, 30, 23; III, 7, 33; 11, 57 sq.; 20 init.; 22 init.

---

[1]) Hoc quoque loco equidem censeo ponendum esse signum interrogandi, non punctum, ut vulgo fit.

[2]) Cf. Verg. Aen. II, 664; cf. I, 253 ibid.; Ovid. Metam. II, 286.

[3]) ‚negare potes' versus exitum apud Martialem saepius adhibitum invenimus in interrogationibus.

[4]) Cf similem sententiam apud Ovid. Heroid. III, 42: Quo levis a nobis tam cito fugit amor? V, 100; cf. apud Mart. Epigr. IX, 29, 12: Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas? quibus locis illud ‚tam cito', in quo magna vis inest, in eodem versus loco atque apud Prop. positum observes; cf. etiam Theocr. idyll. II, 6.

Interrogationes cum negatione formatae, quae cum impatientiae, admirationis, indignationis, obiurgationis affectu aliave animi commotione aut plurium affectuum permixtione pronuntiantur ita ut qui interrogatur interroganti assentiri cogatur, apud poetas nostros rarius usurpantur, numquam apud Tibullum. Cf. Cat. 12, 6; 30, 2 et 3; 42, 13; 65, 10; 83, 3; Prop. II, 16, 3; 21, 5; III, 15, 19.

Silentio non praetereundum puto particulas quasdam saepius eiusmodi interrogationibus praeponi ut ex iis potissimum facile iudicare possimus, quam quaeque interrogatio vim in se habeat. Qui usus quamquam apud alios quoque poetas et scriptores saepius nobis occurrit, in Propertii carminibus, praesertim si cum Catulli et Tibulli ea conferas, tam saepe invenitur ut eum commemoratione dignum putemus. Est profecto proprie Propertianae elocutionis gravi impetui accommodatissimus. Praeposuit voculas quales sunt: at, et, ergo, iam, sed iam, sic, sic igitur, cf. Prop. III, 20, 5:

At tu stulta adeo's? [1]) *tu fingis inania verba?*

Poeta miratur puellam tam stultam esse ut inanes cogitationes volvat atque se ipsam falsa atque inani spe frustretur. Cf. ‚et' praepositum, quod inservit exclamationi cum admiratione et indignatione coniunctae: Lygd. 4, 8; cf. praeterea Prop. I, 15, 37; IV, 4, 17; ‚ergo' inservit tristitiae et querelae apud Prop. II, 8, 13 et 16, 15; ‚iam' plerumque in gradatione proprium locum habet, et qui quaerit hoc modo non sine dolore exprimit rem eo usque processisse. Cuius rei maxime illustre exemplum invenies apud Cat. 29 init. [2]). Praeterea cf. Prop. II, 21, 3:

Sed tibi iam videor Dodona verior augur?

(ubi ‚sed iam' idem significat quod ‚ergo nunc tandem' non sine ironia prolatum.) — Interrogatio a ‚sic' adverbio magna cum vi orditur apud Cat. 38, 6:

Sic meos amores?

(i. e. siccine meos amores tam parvi aestimas, ut ne consoleris quidem dolorem meum?) — a ‚sic igitur' apud Prop. II, 8, 17 [3]).

---

[1]) Ita codicum scripturam ‚stulta deos' correxit Rossbergius.

[2]) Quid de huius carminis singulorum versuum et conexu ac collocatione et forma sentiam, alio loco exponam. Hic alienum videtur illam rem accuratius examinare.

[3]) In locis Propertianis qui sunt II, 24, 1 et III, 22, 5 ‚sic' Baehrensii coniectura nititur.

De indicativo et coniunctivo

(in interrogationibus rectis).

Quae de indicativo aut coniunctivo ponendo in interrogationibus rectis commemoratione digna sunt paucis absolvi possunt. Simul etiam temporum usum attingam necesse erit.

Indicativus in interrogationibus rectis omnino, ut inter omnes constat, vulgaris ac communis est, nisi propria exstat causa coniunctivi ponendi.

Aliquid proprietatis habere videtur futurum tempus in interrogationibus cum indignatione prolatis: eiusmodi interrogationes sunt peraccommodatae conquerentibus et desperantibus. Qui usus, ut iam supra animadverti, persaepe invenitur apud Prop.; exemplis iam allatis addo: I, 7, 11; II, 8, 15; III, 12, 17; apud Cat. 8, 16 sq.[1]); 29, 5; 63, 68; 66, 47; semel apud Tib. II, 6, 1.

Catulli proprius est indicativus praesentis pro coniunctivo dubitativo vel pro futuro tempore positus, si quis se ipsum interrogat, quid iam facere vel cogitare debeat[2]), cf. c. 1 init.:

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?

et 63, 55.

Idem poeta eadem ratione coniunctivum praesentis posuit in c. 100, 5:

Cui faveam potius?

Qui usus apud comicos, ut omnino in sermone communi, non tam raro invenitur quam apud alios optimae imprimis latinitatis scriptores.

Interdum, ut opinor, apud Propertium indicativus positus est pro coniunctivo vel pro futuri indicativo ut quasi ἑτερόχρονον quoddam vel temporis translatio existat. Poeta vividiore imaginatione motus res augere et in maius efferre studet ut quae satis incertae sunt certae videantur atque odiosiores et ex alacriore propositione atque cogitatione quae futura sint aut futura fuerint imaginatur, cf. I, 8 init.

---

[1]) Hoc loco ,nunc' cum futuro coniunctum est eodem modo quo apud Prop. II, 34b, 28.

[2]) Cf. Val. Flacc. Argon. IV, 216; Verg. Aen. II, 322; III, 88; Ovid. Amor. I, 2, 9; Plaut. Trin. 1062; Ter. Heaut. II, 3, 102; cf. Ovid. Met. III, 465: Quid faciam? roger anne rogem? quid deinde rogabo? Saepius Latini in dubitando eodem fere modo et indicativum futuri et praesentis coniunctivum adhibent.

Coniunctivus in interrogationibus, quae dubitativae vocantur, saepius ita ponitur ut illae in rhetoricae interrogationis significationem transeant. Sed non ubique discerni potest, utrum vim potentialem an imperativi significationem coniunctivus in se habeat. Permulta sunt exempla apud poetas nostros, cf. Cat. 22, 12; 30, 4; 64, 177 sq.; 66, 42; 80, 1; 97, 12; 106, 2; Tib. I, 2, 61; 6, 30; 7, 13 et 17; 9, 39; Sulp. epist. 2, 3; 11, 5; Prop. I, 14, 22; 18, 5; II, 7, 13; 13, 45; 24, 3; 34, 12; III, 7, 34; 16, 5 et 19; IV, 2, 24.

Aliquid modestiae atque urbanitatis inest in coniunctivo potentiali per ‚velim' expresso, qui apud Propertium exstat duobus locis, non exstat apud Cat. et Tib.; cf. Prop. III, 23, 22 et IV, 11, 56.

Imperfecti coniunctivus a Propertio adhibitus est in interrogatione rhetorica quae ad tempus praesens spectat ut pro condicionali I qui dicitur habendus sit his locis: II, 7, 9; 34, 12; III, 1, 25.

Coniunctivus praesentis et indic. futuri inter se variantur semel apud Tibullum II, 6 init.:

tenero quid fiet Amori?
Sit comes et collo fortiter arma gerat?

In v. 3 et 4 sequitur futurum tempus[1]. — Huius usus exempla Catullus et Propertius non habent.

Exempla allata demonstrarunt orationem in interrogationibus rectis opinione incerta aut modestia inversam, quam ob rem coniunctivum positum invenimus. Neque aliae causae desunt quae coniunctivum in eiusmodi interrogationibus postulent. Admirationis, improbationis, indignationis vehementiores affectus apti sunt ad orationem invertendam, et coniunctivo ea vis subiecta est ut plurimum valeat ad interrogationem παθητικῶς efferendam. Is qui quaerit significat nullam esse causam vel rationem, cur aliquid sit aut fiat. Exempla velim colligas ex locis iam ante l.

De interrogationibus indirectis.

Eandem fere viam, quam in rectis interrogationibus tractandis ingressus sum, in hoc quoque quaestionis capite,

[1]) Cf. illud Euripideum (Jon. 758): εἴπωμεν ἢ σιγῶμεν; ἢ τί δράσομεν cf. etiam Ovid. Met. III, 465.

in quo de indirectis interrogationibus disseram, inire mihi placet. Primum igitur de forma grammatica dicam, deinde de coniunctivo et indicativo.

De interr. indir. forma grammatica.

In hac quoque parte ea tantum quae mentione digna sunt de pronominibus, adiectivis, adverbiis, particulis afferre mihi proposui exemplaque huc spectantia enumerare.

quis (qui) quae quid (quod) [1]: ‚qui' substantivi loco usurparunt Catullus et Propertius singulis locis; Cat. 17, 22:

Ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.

Prop. I, 5, 18:

Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser [2].

Atque his quidem locis ‚qui' eodem sensu atque ‚quis' usurpatum est [3].

‚qui' pro ‚qualis' posuit Catullus in c. 77, 10:

qui sis fama loquetur anus [4].

Simili significatione idem poeta ‚quid' adhibuit [5] in c. 10, 6:

Sermones varii, in quibus, quid esset
Iam Bithynia -

Apud Lygdamum legimus in c. 4, 73:

Nescis, quid sit amor, iuvenis —

i. e. nondum intellegis quae sit natura amoris [6] — et apud Prop. II, 30, 34:

Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus —

---

1) Cf. Cat. 10, 6; 42, 7; 63, 46; 68, 41, 51, 52; Tib. I, 8, 1; II, 6, 52; Lygd. 4, 46; 6, 26; Paneg. v. 30, 37, 83, 85, 89, 91, 95; Prop. I, 5, 31; 9, 6 et 34; 10, 19; 22,1; II, 13, 18; 16, 29; 27, 2, 4, 11; III, 3, 43; 5, 26 sq.; 13, 19; 14, 31; IV, 1, 85 et 86; 3, 35 et 38; 8, 1.

2) Cf. ad sententiam apud Soph. Electr. 922 illud: οὐκ οἶσθ' ὅποι γῆς οὐδ' ὅποι γνώμης φέρεις, quod proverbii vim adeptum est.

3) In interrogatione obliqua quamquam satis raro ‚qui' pro ‚quis' usurpatur, tamen hunc usum ne Cicero quidem repudiavit, nonnumquam propter orationis sonum, interdum etiam nulla probabili causa, e. g. cf. in Q. Caecil. VI, 20: te non novimus, nescimus qui sis; Verr.: cogita, qui sis; cf. etiam Liv. I, 41.

4) Cf Accius (Ribb. Trag 172, 274): et qualis fuerit, fama celebrescat tua.

5) Cf. in interr. recta ‚quis' pro ‚qualis': Hor. Epist. I, 11 init.; Ter. Andr. IV, 2, 19; Cic. Amic. V init.

6) Cf. Ovid. Met. XIII, 762; Amor. III, 6, 24; Verg. Ecl. VIII, 43 (ad sententiam cf. Theocr. id. III, 15); Mart. Epigr. III, 63, 2; IV, 49 init.; Hor. Sat. II, 3, 41.

i. e. quam sit amare malum (apud eund. poet. II, 34a, 24: *omnes iam norunt, quam sit amare bonum*).

Praeterea cf. I, 5, 20:

Discere et exclusum quid sit abire domum.

et II, 33, 8:

Sensisti multas quid sit inire vias.

Commemoratione digni videntur apud Catullum etiam hi loci, 68, 13:

Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse[1] . . .

et 81, 6:

nescis, quod facinus facias[2].

ubi ,quis, quae, quod' idem fere valet quod ,quantus'.

Rarius pronomini interrogativo ,nam' adnexum est ad interrogationem accuratius et vehementius pronuntiandam: apud Lygd. 1, 5; apud Prop. III, 1 init.; apud Cat. 10, 8:

ecquonam mihi profuisset aere.

Statim hoc loco moneo Catullum unum solum et eum semel tantum in interrogatione indirecta usurpasse pronomen interrogativum cum ,ec' compositum. — **quo pacto**[3]) semel exstat apud Tibullum I, 6, 9:

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes.

qualis[4]) apud Tibullum bis ita usurpatur, ut prope accedat ad significationem vocis ,ut', I, 7, 21:

(Quid referam)
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundet aqua.

Hoc loco duo interrogationis quae antecedunt membra per ,ut' formantur. Cf. II, 4, 17.

---

1) Cf. Ter. Andr. IV, 1, 25: ah nescis quantis in malis verser miser; Phorm. 57: nescis quo in metu et quanto in periclo simus! Cf. Prop. I, 15, 3; II, 16, 31.

2) Cf. Cat. 88, 4: Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?

3) ,quo pacto', quod in universum satis raro usurpatur, persaepe adhibuit Terentius in interrogatione et recta et obliqua — Versum illum Tibullianum eosque qui sequuntur respicit Ovidius Trist. II, cf. 461 sq.:

docetque
qua nuptae possint fallere ab arte viros.

4) Cf. Cat. 41, 8; Lygd. 6, 23; Prop. IV, 3, 38; quibus locis in hoc vocabulo vera significatio inest.

Eadem significatione etiam auctor Paneg. Mess. et Propertius semel hoc vocabulo usurpasse videntur, cf. Paneg. Mess. 19 et 20; Prop. II, 34b, 37.

Unus exstat locus apud Propertium, ubi ‚qualis' pronominis ‚quis' vice fungi videtur, I, 22 init.:

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.

Hoc loco paucis verbis, quomodo alii et poetae et scriptores tres interrogationes usitatas ‚quis, cuiatis, unde?' mutarint ad inquirendum nomen alicuius et genus et patriam, afferre mihi liceat et exempla huc pertinentia, quae forte in promptu habeo, enumerare. Quod uni alterive non ingratum fore arbitror, praesertim cum similem similium locorum collationem, quod equidem sciam, non habeamus. Apud Ovidium legimus ex Pont. IV, 511:

Si quis, ut in populo, qui sitis et unde, requiret.

cf. apud eundem poetam Heroid. XX, 219; Verg. Aen. VIII, 114:

quo genus, unde domo?

Hor. Epist. I, 7, 53: *refer, quis, quo sit patre* cet.; — apud Plaut. Merc. 634:

rogitares, quis esset aut unde esset, qua prosapia.

Pers. 592:

quo genere aut qua in patria nata sit aut quibus parentibus.

Cic. Acc. II, 77, 188 cet. — Praeterea cf. Hom. Od. I, 170 sq.:

Τίς πόθεν εἲς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες; cet.

Soph. Oed. Col. 204 sq., 571 sq.; Eurip. Hel. 86:

Ἀτὰρ τίς εἶ, πόθεν; τίν' ἐξαυδᾶν σε χρή;

Phoen. 123: τίς πόθεν γεγώς;

Jon. 258: Τίς δ' εἶ; πόθεν γῆς ἦλθες; ἐκ ποίας πάτρας
Πέφυκας; ὄνομα τί σε καλεῖν ἡμᾶς χρεών;

Simonid. Epigr. 138: τίς τίνος ἐσσί, τίνος πατρίδος; alibi.

Sed satis de hac re, quam tamquam per occasionem paucis attingendam putavimus; revertimur iam eo, unde paululum deflexit disputatio.

Ut paulo ante commemoravi, Tibullus ‚qualis' fere pro ‚ut' usurpavit, simili modo etiam **quantus**[1]) reperitur: I, 7, 15, ‚quantum' cum genetivo coniunctum est apud Cat. 88, 4:

Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?

---

[1]) Vulgari significatione positum est: Cat. 68, 42; Lygd. 6, 23; Prop. I, 15, 3; II, 16, 30; IV, 8, 17. — Nihil memorabile praebet **ubi**; cf. Cat. 55, 2 et 15; 63, 46; Prop. I, 5, 18.

ubi collective substantivi vice fungitur et complura eiusdem generis in unam notionem complectitur, huic loco, opinor, peraccommodatum, nam poeta demonstrare studet, quot quantaque sint scelera (cf. v. 1—3 et sq.). Idem fere significat atque ,quot' [1]).

unde Propertius tantum usurpavit cum propria tum translata significatione [2]).

In lib. I c. 14, 5 (ex coniectura Lachmanni): (*licet mireris*)

Et nemus unde (codd. *,omne'*) *satas intendat vertice silvas*

,unde' magis ad ,ut' particulae vim ac significationem accedere videtur. Locum qui est lib. I, 22 in. iam supra commemoravi.

qualiter, quod omnino paene nullum habet locum in interrogatione, semel auctor Paneg. Mess. in v. 84 adhibuit.

ut particula non multa praebet memorabilia. Apud Catullum 66, 3:

Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur . . .

,ut' pendet ex ,comperire' verbo in v. 2. — ,ut' particula idem valere videtur quod ,qua ex causa', si accuratius investigamus in huius loci sententiam. Magis ,quam' adverbii vim ac significationem accepit apud Prop. his locis, II, 1, 10:

Miramur, facilis ut premat arte manus.

i. e. quam artificiose, similiter II, 12, 24:

Et canat ut soleant molliter ire pedes.

i. e. quam molliter [3]).

cur (quare): Jam supra admonuimus Catullum in interrogationibus ,cur' et ,quare' promiscue usurpasse. In indirecta interrogatione Catullus ,quare' tantum adhibuisse videtur, cf.

---

[1]) Cf. apud eundem poetam 3, 2: quantum est hominum; 9, 10; eadem ratione 5, 13: tantum basiorum; 14, 7: tantum impiorum, 37, 4; cf. Ovid. Trist. II, 561; Hor. Epod. V, 1; Sat. I, 6, 1; Mart. Epigr. III, 44, 17 (quantum facias mali); cf. etiam Sedul. in carm. pasch. 5, 45: tantundem sceleris quantum gessit (sc. sceleris). — Apud Prop. saepius ,quanti' pro ,quot', ,quam multi' legimus, cf. I, 5, 10 cum IV, 3, 36 (eodem modo ,tantus' pro ,tot' IV, 11, 12), alibi. — **quot** invenitur his locis: Cat. 7 init.; Tib. II, 6, 52; Prop. IV, 3, 36.

[2]) Cf. II, 1 init.; 4, 20; III, 5, 27 sq.; 13 init. — (Solus idem poeta uno loco **quando** usurpavit: II, 27, 11.)

[3]) Persaepe ,ut' exclamativi magis quam relativi adverbii vim in se habere notum est, cf. Cat. 61 v. 78, 94, 156, 171; 62, 8 et 12; 64, 117 sq.; Tib. I, 7, 17; II, 1, 15 et 25; Paneg. v. 23 67, 111; Prop. I, 2, 10; II, 1, 20; 17, 6 et 8; 22, 35; 29, 37; 30, 29 et 30; 34, 34 sq.; 57, 69. — Statim hic breviter affero locos, quibus **quam** invenitur: Cat. 68, 79; Tib. I, 6, 84; Prop. I, 17, 6; II, 33, 30; 34a, 24.

67, 7 et 80, 1 post ‚dicere'; 69, 1 post ‚admirari'; 85, 1 post ‚requirere'; 89, 6 post ‚invenire'; relativa autem significatione ‚cur', cf. 10, 11; 14, 5; 69, 10.

Tibullus ‚cur' particula non usus est, usus est Propertius interrogativa significatione, cf II, 22, 13; 31, 1; 34, 52 post ‚quaerere'; III, 5, 32 sq. post ‚perdiscere'; I, 5, 21 post ‚mirari'.

Interrogativa huius particulae significatio prope accedit ad relativam, si ponitur post verba, quae affectum aliquem exprimunt: apud Catullum post ‚admirari': 69, 1 et 10; apud Prop. post ‚mirari': I, 5, 21 — ut idem significet quod ‚miror quid sit cur'. Hac orationis contractione Catullus uno loco etiam post verbum, ‚facere' et ‚loqui' usus est, 14, 5:

Nam quid feci ego quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?

Quae constructio quamquam apud antiquiores post similia verba adhibita invenitur, tamen rarior erat[2]).

si coniunctione Propertius solus ex poetis nostris usus est ita ut ei modo condicionalis modo interrogativae particulae significationem subiceret. Ut apud Graecos mos est ut post θαυμάζειν verbum ponatur enuntiatum ab εἰ incipiens, sic etiam apud Latinos cum mirandi verbis enuntiatio condicionalis coniungitur, si res quam admiramur ita expressa est ut fieri aut in quaestionem induci possit. Apud Propertium quoque primitivam particulae indolem post verba mirandi reperimus servatam. Jam antea exempla huc spectantia attuli, cf. pag. 22, quibus nunc adicio III, 11 init.

‚si' pro ‚num' (cf. Graecum εἰ) posuit Propertius his locis: III, 5, 40 post ‚perdiscere':

Tisiphones atro si furit angue caput —

(cf. vv. 42 et 43, ubi eadem significatione ‚num' proxime sequitur ‚si' particulam.) — post quaerendi verbum: II, 3, 5 et 7; 34b, 53 et 54.

In versu 53 pro corruptis codicum scripturis fortasse legendum:

Nec si post Stygias ***aliquis restet timor*** *undas.*

Poeta similiter loquitur de timore et in simili conexu in fine carminis quinti lib. III. Quam ad rem cf. etiam III, 19, 27

---

2) Cf. Nep. Arist. I: quid Aristides commisisset, cur cet.

et IV, 11, 20 et 48 [1]). Si coniectura mea aliqua ex parte comprobetur, in ‚restet' restitutus est modus coniunctivus, quem apud Propertium omnibus aliis locis post quaerendi verbum legimus. Ceterum in hac re certum iudicium proferre non audeo.

Huc non referendum esse dico locum, qui invenitur in Lygdami carminibus (1, 19), ubi ‚si' particula interrogativae significationis vim habere videtur. De hoc loco postea dicam accuratius.

num particula Propertius tantum usus est, cf. l. iam antea l.: III, 5, 42 et 43 post ‚perdiscere' verbum.

Idem poeta uno loco ‚si' vel ‚num' dubitandi particulam omisit, nisi forte pro ‚sit' scribendum est ‚si'; cf. III, 5, 31 (‚perdiscere' verbo praemisso):

Sit ventura dies, mundi quae subruat arcem.

Lectionem ‚si' pro ‚sit' si comprobemus, usitatam verbi substantivi ellipsin statuamus necesse est, cf. II, 27, 11, ubi ‚sit' supplendum est ad ‚periturus'.

Restat ut de iis interrogationibus obliquis dicam, quae vere disiunctivae sunt et iis quae disiunctivae esse videntur neque sunt. Disiunctivae interrogationis vulgarem formam **utrum** — **an** apud Catullum tantum legimus, nusquam apud Tibullum et Propertium, cf. 93, 2:

Nec scire utrum sis albus an ater homo.

10, 31:

Verum, utrum illius an mei, quid ad me?

Hoc loco duplicem habemus ellipsin, qua significatur velocitas ad aliam rem transitus atque alacritas. Contra apud eundem poetam in c. 17, 22:

Ipse qui sit utrum sit an non sit, id quoque nescit.

ubi **utrum** — **an non** legitur, significantius oppositionis causa prioris membri verbum, quod plerumque omittitur, repetitum invenimus. Catullus voci ‚utrum' semel adiecit ‚ne' [2]), 97, 2:

(referre putavi,)
Utrumne os an culum olfacerem Aemilio.

---

[1]) ‚Stygiae undae' eodem sensu positum videtur quo ‚mors'. (Poeta ipse ‚post mortem' dicit III, 16, 27.) Quod clarius fit etiam comparatione cum eo loco qui exstat I, 9, 26. Invenimus Propertium omnino non satis firme conceptum animo comprehensumqne habere ‚sepulcrum' et ‚Orcum', ‚corpus exanime' et ‚umbram' et ‚Manes' easque notiones saepius inter se mutasse.

[2]) Cf. Hor. Sat. II, 3, 251; 6, 73.

quod saepius quamvis per se supervacaneum sit efficit ut magna cum vi pronuntietur verbum, cui additum est.

Propertius solus idemque semel in priore disiunctionis parte particulam omisit, posuit ‚an' disiunctivum vocabulum in posteriore parte, cf. III, 5, 39 usque ad 46. Quod ut melius et facilius intellegatur, totum locum exscribere mihi liceat; in v. 25 antecedit verbum ‚perdiscere', ex quo pendent hi vv.:

Sub terris sint iura deum et tormenta Gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput,
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei,
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo iugera operta novem,
An ficta in miseras descendit fabula gentis,
Et timor haut ultra quam rogus esse potest.

Quem locum recte, opinor, interpretabimur ita ut poetam sententiae in priore parte generaliter prolatae (v. 39) interrogationibus sequentibus (v. 40—44) accuratiorem ac pleniorem explicationem adiunxisse existimemus, qua posterior interrrog. disj. pars antecedentia omnia complectens retardetur. — **an** et **ne** repetitum invenimus singulis locis apud Lygdam. 1, 20 et in Sulpic. eleg. 4, 20.

an per ἀναφορὰν positum exstat apud Lygd. 1, 20 (totum locum adpono):

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.

Hoc loco cum codd. Ambrosiano et Vaticano ‚an minor' non cum Guelferbytano ‚maneam' legendum puto. Si ‚maneam' legimus, totius versus faciem et sensum, ut mihi quidem videtur, immutamus. Satis moleste ad ‚maneam' haec fere verba supplenda essent: ‚in eadem familiaritate qua antea' (i. e. eadem f. utar qua antea), cum ad ‚minor' vulgaris atque usitata verbi substantivi ellipsis facile ac simpliciter statuatur aut sine negotio ex sequentibus factus sim' subintellegatur. Sed omnes fere interpretes in altera parte v. 19 explicanda inter se consentiunt enuntiatum per ‚si' prolatum iudicantes interrogativum. Interrogationem obliquam volunt esse trimembrem tres gradus et ascensus in amore ponentes. At haec divisionis mathematica quasi subtilitas licet nonnullis elegans videatur, praesertim cum duo membra bene respondeant ‚coniux' et ‚soror' vocabulis sequentibus, tamen putida est, ut iam Heynius recte observavit et comprobavit Dissenius. Exempla, quae Huschkius in

editione sua affert ad suam sententiam comprobandam, parvi vel potius nullius momenti esse mihi videntur. Ab omnibus illis viris doctis enuntiatum per ,si' formatum pro interrogativo habentibus equidem prorsus recedere audeo. Enuntiatum enim per ,si' prolatum rectius ac melius condicionale interpreter. Ne in tali interpretatione operosa subtilitas inesse videatur, ad confirmandam sententiam meam et probandam paulo altius repetam necesse est.

Kalendis Martiis vel femineis Lygdamus, ad quem Neaerae cura accedit, volumen carminum suorum exornatissimum ad amatam puellam mittere constituit. Simul blandis verbis testatur puellam sibi suis ipsius medullis cariorem esse speratque se puellae gratiam, quae iam dudum dubia facta erat, recuperaturum esse. Quae omnia satis perspicua sunt.

Nunc breviter exponam, quomodo versus 19 et 20 interpretandi sint.

Quod poeta illis versibus expressisse mihi videtur, id in soluta oratione hoc fere modo exprimi potest: Si cura nostri mutua est, Neaera referet, quae responsio mihi exspectanda sit, utrum aliquem numerum apud eam habeam an omnino nullus factus sim. Poeta enim remunerationem quasi quandam (ἀντίδωρον) puellae sperat, si cura mutua est, ut verbis ,si nostri mutua cura est' contineatur propositio, apodosis ,illa mihi referet' et ad ,referet' verbum interrogationes obliquae quae sequuntur referendae sint. Persaepe ponitur in propositione praesens, futurum in apodosi. ,cura' vocabulum in v. 19, modo recte locus intellegatur neve quis ,cura' idem quod ,amor' vel ,ignis' significare existimet, eandem vim habet quam in vernaculo sermone: Sorge, Theilnahme, Interesse. Neaera Lygdamo praetulerat alium virum, cui nubere volebat. Quod cum ita sit, nulla iam amoris fieri potest mentio. Poeta quamquam puellam simili vel mutuo amoris igni incensam cupit certoque sperat se amatae eundem fore, qui antea fuerit, tamen non sine modestia quadam in exspectata responsione illud supprimit. — Ut omnia breviter complectar, equidem existimo ,si' particulam nec pro ,num' nec pro ,an' positam [1]), sed condicionalem esse [2]). Trimembris

---

[1]) Jam Vossius aliam ac priores de hac re amplexus est opinionem. Negat enim deinceps poni ,si — an' pro ,an — an' et non recte compositas esse duas diversi modi constructiones (cf. Huschk. l. l.).

[2]) Cf. Martial. Epigr. X, 299, cui hemistichium Tibullianum (v. 19) ante oculos obversatum videtur:

Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocumque loco Roma duobus erit.

partitio in interrogatione per ,si — an — an' formata num omnino in usu fuerit valde dubitem. Contra ,an' bis aut saepius repetitum non solum apud poetas, sed etiam in soluta oratione ab Augustea aetate exeunte non raro invenitur[1]). Hoc quoque loco rhetorico modo duae interrogationes compositae sunt.

In Sulp. eleg. 4, 20:

Quid refert, clamne palamne roget?

,ne' repetitur[2]).

Contractam disiunctionis formam, in qua ,an' verbo omisso semel ponitur, uno loco apud Catullum invenimus[3]), cf. 37, 7: *Centum an ducenti.* — In uno eodemque enuntiato interrogativo complures voces interrogativae ἀσυνδέτως poni possunt, qui usus etiam apud Ciceronem reperitur[4]). Cum Catullus, Tibullus, Propertius huius constructionis usurpatione se abstinuerint, Lygdamus solus illud Graecorum proprium genus dicendi semel adhibuit in c. 6, 23:

Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.

Restat ut breviter dicam, quoad poetae nostri vocabulorum interrogativorum ordinem commutare sibi permiserint.

Verba interrogativa, a quibus interrogatio obliqua incipit, saepius non ab initio enuntiati interrogativi, sed uno vel pluribus vocabulis praemissis ponuntur.

Secundo loco enuntiationis particulas interrogativas legimus apud Catullum: 61, 152 et 167; 66, 3; 68, 51; apud Tibullum: I, 6, 84; II, 1, 15; apud auct. Panegyr. Mess. v.

---

1) Cf. Ovid. Met. X, 254; Verg. Aen. I, 328; X, 680 sq.; Juv. Sat. VII, 141, 162 sq.

2) Cf. Ovid. Fast. II, 782; Met. XIII, 192; Juven. Sat. XII, 321 (casusne deusne); etiam cf. apud Verg. Aen. XI, 126 ,ne' repetitum in interr. recta: Iustitiaene prius mirer belline laborem?

3) Cf. Ovid. Fast. II, 394; cf. etiam Cic. Fam. XIII, 29, 4 illud decantatum ,duobus an tribus mensibus'.

4) Cf. Cic. pro Rosc. com. 21: considera, quis quem fraudasse dicatur; Mil. 38; multo autem saepius in recta interrogatione haec structura reperitur cf. Horat. Sat. II, 4 init.; Od. III, 27, 37: Unde quo veni? quocum conferre possumus illud Homericum τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; omnino Graecae linguae proprium est complures interrogationes una comprehendere. Nonnulla exempla huc spectantia iam antea attuli, cf. pag. 29. — E. g. legimus apud Plat. Phaedr. statim in initio: ὦ φίλε Φαῖδρε, ποῖ δὴ καὶ πόθεν; — Lessingius quoque, ut unum exemplum proferam e Germanicis literarum monumentis, in fabula quae dicitur „Nathan der Weise" Recham dicentem facit in actu III, scen. 2: Wer hat? — Von wem? — Euch das gesagt?

22 et 111; apud Prop. I, 5, 20; 10, 19; 14, 15; II, 1, 10; 3, 5; 16, 30; 17, 8; 33, 8; 34b, 34.

tertio loco: semel apud Cat. 62, 12; apud Prop. III, 5 vv. 30, 32, 36, 40; IV, 1, 86; nusquam apud Tibullum.

quarto loco: nusquam apud Catullum et Tibullum; semel apud auct. Panegyr. 23; semel apud Prop. IV, 3, 40:

ventus in Italiam qui bene vela ferat.

Unum imprimis velim respicias exemplum apud Prop., ubi subiectum interrogationis obliquae praemittitur verbo, ex quo enunt. interr. pendet II, 33, 30:

Pampineus nosti quam sit amarus odor.

Tibullus, qui in interrogatione recta sedulo operam dedit, ut pronomen interrog. a suo loco removeret, perraro discessit a communi collocatione verborum in interrogatione obliqua. Propertius, ut ex iis quae attuli exemplis apparet, saepius uno vocabulo praemisso posuit voculam interrogativam.

De coniunctivo et indicativo
(in interrogationibus obliquis).

Priusquam ad modorum usum tractandum aggrediar, quasi in transcursu commemorare mihi liceat interrogationes obliquas pendere primum ex enuntiatis primariis et affirmativis et negativis, deinde ex vere interrogativis, tum ex imperativis aliisve locutionibus, quae illorum vice fungantur. Cum hic nec locus nec tempus sit ut copiosius et singillatim dicam de his rebus, verba afferre breviterque enumerare satis habeo, ex quibus poetae nostri enuntiationem interrogativam pendentem fecerint.

Interrogationes obliquae ordiuntur ab his verbis propter similem significationem sic a me collatis:

a) a verbis **sentiendi:**

accipere, quod imperativi tantum forma *accipe* (i. e. audi vel tibi dicam) usurpatum invenitur: Cat. 68, 13; Prop. II, 13, 18; IV, 8, 74.

comperire: Cat. 66, 3.

discere: Prop. I, 5, 20; IV, 3, 35; 8, 1. — **ediscere:** Prop. IV, 3, 37. — **perdiscere:** Prop. III, 4, 15.

nosse: Prop. I, 5, 18; II, 27, 11; 33, 30; 34, 24; cf. etiam Tib. I, 8, 57.

scire: Cat. 68, 52; 88, 4; 93, 2; Tib. II, 5, 12.

invenire: Cat. 89, 6; Prop. III, 14, 32. — **artes (belli) tenere:** Paneg. Mess. 82.

nescire: Cat. 17, 22; 81, 6; Lygd. 4, 73; Prop. II, 30, 34.

aspicere, cuius verbi imperativus tantum exstat: Cat. 61, 171; 62, 12; Prop. I, 2, 9 sq.; 15, 3; 17, 6; II, 16, 29; 29, 37; 34, 55[1]).

videre: Cat. 61, 77 et 94; 62, 8; uno loco ita dictum est ut fere significet *cognoscere, intellegere, perspicere:* 63, 46; Tib. II, 1, 25; Paneg. Mess. 67 et 111.

cernere, cuius verbi semel imperativus *cernite* exstat: Tib. II, 1, 15.

fingere (i. e. imaginari), in locutione *mens mihi fingit:* Tib. II, 6, 51.

sentire: Lygd. 6, 26; Prop. II, 33, 8.

mirari: Prop. I, 5, 21; 14, 5; II, 1, 10; III, 10, 1. — **admirari:** Cat. 69, 1 et 10.

b) a verbis **declarandi:**

dicere[2]): Cat. 55, 15; 67, 7; 80, 1; Lygd. 1, 5; 4, 46; in Paneg. Mess. 18; Prop. I, 9, 6 et 34; IV, 1, 85; 8, 17.

loqui: Cat. 77, 10.

commemorare: Cat. 64, 117.

referre: Cat. 97 init.; Tib. I, 7, 17; II, 4, 17; Lygd. 1, 19; Prop. II, 34, 33.

canere: Prop. II, 12, 24; 30, 28; 34, 67.

narrare: Prop. II, 28, 27.

flare eodem sensu quo ‚canere', ‚narrare': Prop. III, 3, 41 (cf. pag. 44).

reticere: Cat. 68, 41.

celare: Tib. I, 8, 1.

docere: Cat. 68, 79; Tib. I, 6, 9; Lygd. 6, 24; Prop. I, 10, 19.

demonstrare: Cat. 55, 2.

monere: Tib. I, 6, 84.

rogare: Cat. 41, 7.

---

1) Ad ‚adspice' pronominis accusativus additus est, quae ratio a Plautino sermone ducta videtur; cf. Pseud. V, 2, 7; Ter. Eun. III, 5, 18; cf. etiam Hor. Od. IV, 14, 9; Theocr. idyll. II, 69. Cf. Aesch. Prom. 1095; Eurip. Iph. A. 1583; Soph. Electr. 324; Plat. Rep. IV, 581, b.

2) Verbi ‚dicere' imperativum legimus apud Cat. 55, 15 et 67, 7 pronomine ‚nobis' addito, apud Lygd. 1, 5 pronomine omisso; Prop. quoque, qui semel usurpavit hunc imperativum, omisit pron.: IV, 8, 17.

quaerere: Cat. 7, 1; 42, 7; 67, 27; Paneg. 30; Prop. I, 5, 32; 22, 1; II, 1, 1; 3, 5; 22, 13; 27, 2 et 3; 31, 1; 34, 51; III, 13, 1. — **requirere:** Cat. 85, 1.

Interrogatio per ‚cur' prolata apud Catullum post **facere** et **loqui** 14, 4 invenitur. Apud eundem poetam semel post **quid ad me:** 10, 31 et in Sulp. eleg. 4, 20 post **quid refert** interr. obl. posita est.

Restat ut afferam nonnullas locutiones, ex quibus interrogationes pendeant:

a) ex iis, quae verborum vice fungantur:

en interiectione (i. e. aspice) semel Catullus tali modo usus est: 61, 156 et Propertius uno loco: II, 29, 30. Sed his locis exclamationes, non interrogationes legimus.

Substantiva cum verbo coniuncta, ex quibus interrogatio obliqua pendet, apud poetas nostros sunt haec:

sermones [1]) apud Catullum 10, 6: *incidere nobis*
Sermones varii cet.

certamen [2]) apud auct. Paneg. 37:

quis potius, certamen erit.

apud Prop. III, 13, 19:

Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Coniugium — (i. e. dimicare) —

sors apud eundem poetam III, 10, 27:

Sit sors et nobis talorum interprete iactu,
Quem gravius pennis verberet ille puer. — [i. e. idem fere, quod: ex talorum iactu conicere (de alicuius sorte futura).]

Cf. etiam Prop. II, 17, 5 sqq.

b) ex iis, quae adiectivi loco positae sint; cf. Prop. II, 4, 20:

Unde tamen veniant tot mala ***caeca viast.***

i. e. incertum vel obscurum est, unde cet. [3]).

Nunc videamus, quid de modo coniunctivo et indicativo dicendum sit.

Ut secundum legem grammaticam in interrogatione recta proprium locum obtinere solet indicativus, ita coniunctivus in interrogatione obliqua. Quam legem boni scriptores satis

---

1) Cf. Hor. Sat. II, 6, 71, ubi locutionem ‚sermo oritur' interr. obl. sequitur.

2) Cf. apud Ovid. Fast. IV, 879 et 880: Turnus an Aeneas Latiae genere esset amatae, bellum erat.

3) Cum alii ex adiectivis cum verbo substantivo coniunctis saepius interrogationem pendentem faciant, apud poetas nostros nullum huius rei exemplum exstat.

diligenter observarunt, poetae autem in interrogatione obliqua violaverunt nonnumquam [1]).

Quid mirum, si apud Propertium aliquoties utrumque modum in uno eodemque circuitu adhibitum invenimus? Quam tenue sit ac paene nullum inter coniunctivum et indicativum discrimen, luculentum exemplum praebet Propertius in libro III, 5, 25 usque ad v. 46, ubi agnoscemus, quam libere versatus sit in modorum commutatione [2]). Quod genus dicendi repetendum est partim ex studio orationis structuram variandi, partim ex versus commoditate vel necessitate. Omnem operam quamquam dederam ut invenirem, quibus condicionibus indicativus, quibus coniunctivus positus videretur, tamen oleum et operam me perdidisse intellegere coactus sum, quod ad certam regulam utriusque modi usus redigi nullo pacto potest. Praeterea cf. apud eundem poetam II, 16, 29 et 30; 30, 29 et 30; 34, 33 sqq. Catullus nusquam, nisi fallor, in interrogatione obliqua indicativum posuit, uno loco Tibullus, II, 4, 18:

Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrit equis.

Ceterum coniunctivus num in recta quoque oratione ponendus fuerit, accurate videndum est. Atque horum quos appellare possumus absolutos coniunctivorum invenimus unum exemplum, coniunctivum potentialem vel potius iussivum apud Lygd. 1, 5:

Dicite, Pierides, quonam donetur honore . . .

Versus Propertianus II, 13, 18:

Accipe quae serves funeris acta mei.

minus huc pertinet.

Semel apud Propertium indicativus nobis occurrit, quam-

---

[1]) Supervacaneum est commemorare in interrogationibus obliquis apud priscae aetatis poetas usum indicativi multo latius patere multoque liberiorem et solutiorem esse quam apud posteriores. Neque quisquam est qui ignoret imprimis apud comicos hunc indicativi usum esse frequentissimum.

[2]) Observes velim interr. obl. per viginti versus continuatam. Apparet poetam interrogationum obliquarum coacervatione et oratione obliqua nimis diu continuata depingere velle interminatam tot tantasque res perdiscendi cupiditatem et infinitum studii ardorem ac fervorem. Rectam quoque interrogationem in rerum enumeratione Propertius per multos versus continuavit. Cf. Cat. 64, 117 sq.; in Paneg. 82 usque ad 97.

quam, ut Ed. Beckeri[1]) verbis utar, res nondum peragitur, sed praedicatur tantum, IV, 8, 75:

Accipe quae nostrae formula legis erit[2]).

Sed de modo coniunctivo in interrogatione obliqua, qui non multum praebet memorabile, satis hoc loco dictum est.

Hic locus erit ut **viden** formulae similiumve locutionum significationem et usum pluribus verbis explicemus.

‚viden' formula pariter ac ‚scin' et ‚audin' formulae apud comicos usitatissimae et veram interrogationis vim in se habere et aliusmodi enuntiati munere fungi potest. Vetustiores scriptores fere coniunctivum posuerunt, si illam adhibuerunt ut aliquid ex aliquo sciscitarentur et exquirerent; indicativum, si pro imperativo adhortativo vel adverbialiter eam usurparunt. Quod discrimen a vetustioribus scriptoribus, imprimis a Plauto et Terentio, observatum esse Ed. Beckerus in libro modo laudato ad persuadendum accommodate ostendit comprobavitque sexcentis exemplis, ut ab illius viri docti auctoritate similes disquisitiones proficisci debeant. Quod modo attuli de illius formulae usu, idem in universum valere videtur in posteriores. Breviter dico nostros poetas, qui quidem ‚viden' adhibuerint, adhibuisse imperativi vel adverbii, non verae interrogationis significatione.

Aliquid miri habere potest, quod Tibullus, qui semel illam formulam usurpavit, coniunctivum posuit II, 1, 25:

viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?[3])

quod non dubito quin repetendum sit ex eo, quod hic poeta omnino in interrogatione obliqua coniunctivo uti solet.

Catullus post ‚viden' indicativum posuit in c. 61, 77:

viden ut faces
Splendidas quatiunt comas?

et 62, 8:

viden ut perniciter exiluere?

---

1) De syntaxi interr. obliqu. in Studemundi stud. I. Cf. etiam Sittl, die localen Verschiedenheiten der latein. Spr. p. 134.

2) Quam tenue sit discrimen inter futuri indicativum (h. l.) et coniunctivum praesentis (cf. II, 13, 18) intellegimus ex pleniore quae sequitur rei descriptione, ubi tempora poeta variavit (cf. Prop. III, 3, 39 sq.: primum indic. fut., deinde coni. praes. pro imperativo). Simili modo apud Lygd. 2, 9 sq. — Cf. etiam Plaut. Men. 472: observa quid dabo.

3) Paulo ante legimus eundem modum post ‚cernite' imperativum, qui eodem sensu positus est ac sequens ‚viden'.

Eodem sensu ‚vide'[1]) adhibuit 61, 94:

vide ut faces
Aureas quatiunt comas.

et ‚adspicite' 62, 12:

Adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.

Eadem fere significatione idem poeta post ‚aspice' modum coniunctivum[2]) posuit uno loco 61, 167:

Aspice, unus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Omissum est verbum finitum 61, 152:

En tibi domus ut potens
Et beata viri tui.

Apud Propertium ‚viden' formula nusquam invenitur, simili autem sensu ‚aspice' et ‚en'.

Post ‚aspice' Propertius semper coniunctivum posuit, cf. I, 2, 9 sq.; 15, 3; 17, 6; 29, 37; 34, 55, uno loco excepto, ubi in uno enuntiato coniunctivus et indicativus leguntur, II, 16, 29 et 30:

Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
Arserit et quantis nupta Creusa malis[3]).

Post ‚en', quod semel usurpavit in exclamatione, indicativum posuit II, 29, 30:

En quantum per se candida forma valet!

Quam levis ac tenuis sit conexus inter secundarium et primarium enuntiatum imprimis docet locus eiusdem poetae, ubi singula enuntiata inter se coordinata sunt[4]), II, 21, 5:

aspice, cantat liber.

---

[1]) Saepissime scriptores prisci ‚viden' et ‚vide', ‚videtin' et ‚videte' promiscue usi sunt. Cf. apud Catullum in c. 62 vv.: 6: cernitis? 8: viden? 12: adspicite — et videbis quomodo adhortationis forma varietur.

[2]) Catullus nescio an coniunctivum posuerit ut significaret imperativum maiorem vim in se habere et hunc cum enuntiato interrog. sequenti interiore nexu cohaerere.

[3]) Cf. Verg. Aen. VI, 771: quantas ostentant, aspice, vires! Cic. Attic. VIII, 13, 2: vide quam conversa res est! Lael. XI, 37; XXV, 96; eodem sensu Hor. Od. I, 14, 3: ‚nonne vides ut' c. ind.

[4]) Cf. Ovid. Ars amat. II, 384: aspice, signatum sanguine pectus habet; Amor. I, 8, 31: en aspice dives amator te cupit.; Verg. Ecl. IX, 57:

Et nunc omne tibi stratum silet aequor et omnes
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae. — Quam ad rem cf. Theocr. III, 10: ἠνίδε τοι δέκα μᾶλα φέρω; IV, 48: ἴδ' αὖ πάλιν ἅδε ποθέρπει; V, 37: ἴδ' ἁ χάρις ἐς τί ποθέρπει! (cum admiratione = ‚en'); cf. Eurip. Androm.

Hoc loco ,aspice' eodem modo atque ,en', ,ecce' cum enuntiato primario coniunctum est[1]).

Indicativum positum esse in **nescio quis, nescio quid** cet. formulis non est mirum, quod illae locutiones cum verbo enuntiati primarii artissimo vinculo coniunctae in unam quasi vocem ita coeunt ut pronominis indefiniti notionem accipientes pro ,aliquis, aliquid' positae esse videantur.

Verba ,nescio quis, quid' ponuntur

a) in capite sententiae, veluti apud Cat. 80, 5:

Nescio quid certe est.

apud Tib. I, 5, 75; apud Prop. II, 34, 66.

b) inseruntur mediae orationi et subiecti et obiecti loco idque saepius apud poetas nostros; cf. Cat. 2, 6; 53, 1; Tib. I, 6, 6 et 55; Prop. I, 11, 7:

An te nescio quis simulatis ignibus hostis[2]) . . .

praeterea II, 29, 3 et 14; III, 23, 13.

nescio quo pacto formulam Propertius adhibuit ad significandam rei compertae incompertam causam[3]) II, 25, 32:

Nescio quo pacto verba nocere solent.

Uno loco apud Catullum genetivum cum hoc ,quid' coniunctum invenimus[4]) 6, 4:

Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis.

1227 sq.; Soph. Electr. 1410; similiter in sermone Gotico ,sai' (cf. Graecum ἰδού) usurpatur. Cf. etiam verba Goethii in elegia quae inscribitur: „Der neue Pausias und sein Blumenmädchen":

Siehst Du? Da hangen sie noch neben dem Heerde für Dich.

Eiusmodi structuras Kuehnerus, qui de ratione Latine loquendi accuratissime scripsit, commode comparat cum Francogallico ,voici', ,voilà'.

1) Propertius persaepe vocibus ,en', ,ecce' ita utitur ut sequatur enuntiatum quod per se stat; rarius enuntiato per se posito ,en', ,ecce' inseritur, cf. III, 6, 40; praeterea cf. I, 9, 3; II, 29, 30; III, 24, 15; IV, 1b, 81; 4, 63; 6, 2 et 45; 7, 59; 11, 14; etiam apud Catullum et Tibullum non raro invenitur hic usus.

2) Propertio in deliciis est ,nescio quis' formulam usurpare, ubi contemptim de rivali loquitur. Memorabile est ,quis' positum esse, quamquam vox sequitur ab litera sibilanti incipiens.

3) Saepius apud Horatium reperitur, cf. e. g. Sat. I, 7, 2; 8, 40; II, 7, 22; Epist. I, 8, 13; 17, 2. Similiter etiam formulis quae sunt: ,nimium, immensum quantum, incredibile, immane quantum (Graecum ἀμήχανον ὅσον), mirum quantum (θαυμάσιον ὅσον, θαυμαστὸς ἡλίκος, Wunder wie gross)', interdum eodem quoque modo ,mirum quam' — cum e duobus quasi partibus compositae coalescant et unam efficiant notionem, verbi indicativus adiungitur.

4) Cf. Ter. Hec. IV, 4, 2: quid mulieris uxorem habes? — Contemptim dicitur hoc modo.

Quod ad verborum locutionumve, ex quibus enuntiatum interrogativum pendet, collocationem attinet, perpauca de hac re proferre in promptu habeo. Minoris fortasse momenti, sed tamen — praesertim cum hanc disquisitionem plane perficere mihi proposuerim — non prorsus omittendum est, saepius cum Propertium tum Catullum, Tibullum perraro vel potius semel tantum postposuisse verbum, quod plerumque enuntiato interrogativo antecedit; cf. Cat. 10, 31; 17, 22; 42, 7; 68, 80; 77, 10; 85, 1; 89, 6; Prop. I, 5, 31; 22, 1; II, 4, 20; III, 14, 32; IV, 1b, 87; Tib. I, 6, 84; auct. Paneg. 37; Lygd. 6, 23. Praeterea cf. in eodem c. v. 26, quem locum hic adpono:

Quid valeat laesi sentiat ira dei.

Lygdamus ‚sentiat' verbum enuntiato interrogativo inseruit. Quod interpositionis genus saepius apud hunc poetam nobis occurrit (cf. e. g. 4, 49; 6, 3).

Satis eleganter interdum verbum, ex quo pendent duae interrogationes aut accusativus rei obiectae et una interrogatio, cum media in oratione tum in versus initio positum est[1]); cf. Cat. 68, 52:

Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, et in quo me corruerit genere.

Prop. I, 5, 20; II, 27 init.

Interrogatio verbis enuntiati primarii circumclusa est: apud Cat. 41 in fine; apud Prop. I, 5, 18:

Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser.

I, 9, 34; II, 30, 34; apud Lygd. 4, 73. — Ne unum quidem exemplum apud Tibullum reperire potui.

Verum satis de hac re, quam praeterire nolui.

Ut ad finem perducam hanc quaestionem, breviter afferre mihi liceat persaepe apud Propertium, raro apud Catullum et Tibullum eorum verborum, ex quibus interrogationes obliquas pendentes faciant, structuram commutari. Accusativum obiecti et interrogationem obliquam promiscue usurparunt plerumque ita ut primum accusativum ponerent, deinde interrogationem, sive quae accusativo praecedenti continentur interrogationum quae sequuntur obliquarum membris accuratius exponuntur, sive

---

[1]) Hoc dicendi genus saepius adhibuerunt Vergilius et Ovidius, cf. e. g. Verg. Aen. XII, 295:

Et responsa simul quae sint, rex optime, regis
Audisti, et quae de magno sententia belli.

Aen. VI, 7, 71; VIII, 288; Ovid. Amor. II, 8, 27; Ars amat. I, 1, 50; Fast. IV, 8, 77; Heroid. XVI, 122; Trist. 270 et 293. — Martialis quoque illud amasse videtur, cf. Epigr. I, 57 init.; III, 63, 2; V, 58, 6, alibi.

novae res adduntur, cf. Cat. 63, 3 sq.; Tib. I, 7, 13 sq.; II, 4, 17 sq.; Prop. I, 5, 19 et 20 (l. paulo ante l.); 14, 3 sq.; I, I12, 23; 17, 5 sq.; 27 init.; 30, 29; 34 vv. 33, 51. 67 sq.; III, 3, 43 [1]); 5, 25; IV, 1, 83 [2]); 3, 37.

Pars posterior.

Quoniam praecedenti disputationis nostrae parte de grammatica interrogationum forma diximus, nunc accedamus ad alteram partem videamusque, quomodo apud hos poetas **rhetorico poeticove usui** interrogationes inserviant.

Libenter hanc potissimum disputatiunculae partem accuratius tractare vellem, quod carmina elegiacorum poetarum studiose et attente perlegenti mihi persuadebam eam magni momenti esse ad ingenium et sermonem poeticum intellegendum recteque iudicandum; sed cum observationum huc spectantium, quae commemoratione dignae sunt, tanta proveniret seges, ut accurate describere ac subtiliter constituere rhetoricam ac poeticam rationem, quam in interrogationibus et formandis et adhibendis poetae secuti esse videantur, nec tempus nec locus sinat, liceat mihi quaestionem magis lineamentis quasi adumbrare quam absolvere. Fortasse aliquanto post mihi licitum concessumque erit supplere imperfectam quaestionem et reliqua, quae collegi, alio loco in lucem edere, ut interim in illo proverbio ‚mora est allata rei, non causa sublata' acquiescam.

Benevolus lector ne miretur quod interdum eorum locorum, quos iam in priore parte laudavi, unum alterumve in hac parte iterum partim attigi partim copiosius tractavi neve suspicionem trahat in hac re nulla me ratione ac temere eadem iterasse, hoc unum dico repetitiones instaurationesque eiusdem loci non inveniri nisi in aliam ac novam interpretationis et explicationis rationem cadunt.

Non solum interrogationem, sed etiam responsionem, quoad exigui fines patiuntur, quibus haec pars circumscripta est, omninoque interrogationum cum antecedentibus et sequentibus conexum respiciamus necesse erit.

---

[1]) Ex ‚flare' verbo notio narrandi vel describendi audienda est, parum, opinor, ingeniosa licentia atque audacia et structura paulo duriore.

[2]) Hoc loco poeta dicendi verbum primum cum accusativo nominis, deinde cum interrogatione obliqua, tum cum recta oratione coniunxit.

Primum dicam de eo genere interrogationum, quod apud alios quoque usitatissimum est et adhibetur ad sententiam negativam aut affirmativam vividiore ac vehementiore forma proferendam eique adiciam nonnulla alia huc pertinentia, quae commemoratione digna sunt; deinde exponam, quomodo et quatenus poetae enuntiata interrogativa pro aliis sive condicionalibus sive adhortativis similibusve adhibuerint paucisque absolvam, quae commemoranda sunt de iis interrogationibus, quae transeunt in vim enuntiati exclamativi; tum nonnulla proferam de responsione, quae rhetorico modo statim interrogationi antecedenti adicitur.

Interrogatio — quae non adhibetur ut quid sit aut non sit cognoscatur et responsio flagitetur, sed ut aliud quiddam exprimatur alacriore ac vehementiore i. e. rhetorico modo, quod in simplici oratione sine interrogatione dici potest — inter sententiarum figuras (σχήματα διανοίας) numeratur et eximia est pars poetici argumenti. Quis enim non concedat hanc dicendi formam et oratoribus et poetis familiarem multum valere ad exornandam orationem et augendam et amplificandam?

Sed antequam accedimus ad propositam rem ipsam adumbrandam, pauca in universum disputabimus de iis interrogationibus, quae rhetorico quodam modo adhibentur nonnullaque verba proponemus, quibus interrogationum apud elegiacos poetas indoles accuratius cognoscatur. Permultae enim ex elegiae tantum ipsius vi ac natura explicari possunt.

Elegiacum poetam semper aliquid habere quo commoveatur — totius elegiarum generis proprium id est, quod cogitatio pugnat cum sensu — et fere semper in rerum imagine aliquid invenire tristitiae et molestiae, quod multum valeat ad concitandum atque exacuendum nemo negabit. In memoriam velim revocemus illud Ovidianum:

‚Quod iuvat, exiguum, plus est, quod laedat amantem.'

Quae cum ita sint, elegiaci poetae prae ceteris in querelis potissimum querimoniisque cum delectatione versantur, nam:

‚Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen;
Materiae scripto conveniente suae.'

(Ovid Trist. V, 1, 5 et 6).

Querelae igitur sunt usitatissimae optimeque conveniunt elegiacae poeseos ingenio. Quae autem orationis forma ad praecipitem ingenii mobilitatem animique motum ac perturbationem accommodatior esse potest ac pulchrior quam interrogatio, quae vehementior et nervosior, quae efficacior? Eiusmodi querelae ex acerbo et flebili dolore profectae etiamsi

saepius aliquid vituperationis in se habent et exprobrationis, pleraeque tamen molliter sunt afflatae precibus atque flectendi et movendi animum studio, ut vis querelarum fiat flexanima. Et si, quod aut simpliciter aut quasi precantes vel imperantes vel vituperantes in sana ac sicca oratione pronuntiamus, in interrogationis formam mutaverimus, nonne efficiemus ut animi audientium graviter permoveantur atque excitentur? Quo in genere inter omnes longe praestitit Propertius qui est commovendae miserationis peritissimus.

Quales quantique sint motus animi in carminibus huius poetae impressi, quale quantumque sit certamen animi dubitatione et perturbatione aestuantis, id luce clarius ex iis praecipue interrogationibus apparet, in quibus persona loquentis in duas partes divisa existit ita ut alteri partes quaerendi assignentur, alteri sententiam quaerentis tacita assensione comprobandi. Hoc statim loco breviter illud monere mihi liceat in iis potissimum quae amatoria dicuntur carminibus apud Catullum et Tibullum in universum interrogationem rhetoricam leniorem inveniri, existere graviorem apud Propertium. Non mirum. Poeta enim ‚cuius opus Cynthia sola fuit' saepius in maius extollit res et tristibus verbis agit, sive ira commotus, cum ipse canat I, 1, 27:

‚Sit modo libertas quae velit ira loqui',

sive coactus metu crescente ne puella quam alloquitur in init c. 25 lib. II: ‚Unica nata meo pulcherrima cura doloris perfida fiat vel iam facta sit. Poeta ὑπ' ἐνθουσιασμοῦ κα πάθους speciem rei futurae veluti oculis offerens concitat et videre sibi videtur, quod non est et ‚quod nil est metuit', nam, ut Ovidii praeclaris verbis utar, ‚amans semper quod timet esse putat' et ‚credula res amor est'. Cum autem poeta ipse sui optimus sit interpres, Propertium ipsum dicentem facimus:

‚Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timoris erit.' (I, 11, 19 et 20;

cf. II, 34, 20; III, 24, 6.)

Sed iam sentio me esse longius provectum et copiosius explicasse quae prius monenda duxerim, quam ad propositum me converterem.

Nostri quoque poetae, si animi affectu corripiuntur, quod sentiant quodque animo agitent alacriore ac vividiore orationis forma enuntiare student ita ut ea quoque, quae certa explorataque sint, interrogando exprimant quasi videantur incerta ac

dubia. Acrius ac vehementius hoc fit eiusmodi interrogationibus, quas poetae nostri adhibuerunt rarius ad fortissime affirmandum (veluti Propertius isque solus: II, 4, 25; 24, 3; IV, 9, 39: *Quis non audit?*), saepissime ad fortiter ac vehementer negandum. Quoniam autem pervulgatum est hoc dicendi genus, singula exempla afferre supersedeo, ne de rebus tam perspicuis omnibusque notis disseram neve legentium patientia iusto diutius abuti videar. Nonnulla tantum, quae mentione digniora mihi videantur, omittere nolo.

Incipiamus ab interrogationibus, quae eadem aut simili forma saepius rariusve etiam apud alios nobis occurrunt ut sollemnem quasi quandam formam quae manet semperque manebit adeptae videantur. Quod dicendi genus ut clarius atque uberius illustretur, liceat mihi similes locutiones quae ad hanc rem spectant ab aliis repetitas in annotationibus breviter commemorare.

In querelis de praepostera et perversa re vel de pravitate consilii poetae nostri saepe usurparunt formulas quales sunt: ‚quid iuvat', ‚quid prodest' cet. Hae locutiones, quibus interdum additum est ‚nunc' vocabulum patheticum, aut absolute ponuntur aut adiecto pronomine, cf. ‚quid prodest' absolute positum apud Tib. I, 2, 77; 8, 61; apud Lygd. 3 init.; cum pronomine coniunctum apud Tib. I, 3, 23; 8, 9; II, 4, 51; apud Lygd. 3, 11[1]); in Sulp. epist. 5, 5; apud Propertium semper pronomen adiectum est, cf. I, 9, 9; II, 33, 17; 34 b, 27 sq.; III, 18, 11 sq.; IV, 11, 11. — ‚quid iuvat' semper absolute dicitur, cf. Tib. II, 3, 79; Lygd. 3, 18; 5, 19; Sulp. eleg. 2, 9; Prop. I, 2 init.; II, 22, 44[2]); III, 11, 47, ubi enuntiatum condicionale adnexum est, quod saepius invenitur apud Tib. (I, 2, 77; 8, 61; II, 3, 79); semel apud Prop. II, 12, 17 ‚quid tibi iocundum est' eadem significatione.

---

1) Cf. apud Theocr. idyll. XVI, 22: Δαιμόνιοι, τί δὲ κέρδος ὁ μυρίος ἔνδοθι χρυσὸς κείμενος;

2) Assentior Carolo Brandtio, qui hunc locum sic scribendum esse censet: *Quid iuvat haec nullo ponere verba loco?* Baehrensius pro ‚haec' in textum recepit ‚at'. (Cf. C. Brandt, Quaestiones Propertianae, Berol. 1881). — Similiter ac nostri poetae formulas, quid prodest', ‚quid iuvat' cet. usurparunt in eiusmodi querelis etiam alii, cf. Hor. Od. III, 24, 33 et 35: Quid tristes querimoniae? — quid proficiunt cet.? — Ovidius Rem. amor. 261 sq. habet primum ‚quid te iuverunt,' deinde ‚quid tibi profuerunt?' Cf. etiam Amor. III, 9, 33. — Theocr. Epigr. VI, 1 et 5: τί τοι πλέον; Eurip. Suppl. 1107; cf. in poet. amator. collectione quae „Minnesangs Frühling" vocatur, ed. C. Lachm. et M. Haupt. pag. 137, 3: waz sol golt begraben, des nieman wirt gewar? pag. 184, 28: waz hilfet si ir arger list? pag. 188, 35: waz hülfe danne mich ein strît cet.; in Hartmanni v. d. Aue carmine heroico quod ‚Iwein' inscribitur v. 561: waz vrumt cet.? v. 1466:

Simili ratione ‚quid opus' singulis locis apud Tib. I, 6, 33 et apud Prop. II, 6, 25 legimus.

In exprobratione aut desiderio boni amissi proprium locum habent interrogationes rhetoricae ab ‚ubi' incipientes [1]), quibus Tibullus et Propertius ‚nunc' patheticum adiunxerunt, cf. Tib. II, 3, 27:

Delos ubi nunc, Phoebe, tua est, ubi Delphica Python?

Prop. III, 11, 67:

Nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli,
Aut modo Pompeia Bosphore capta manu?

Hoc loco, ut saepius apud Propertium, per ellipsin interrogatio contracta quasi atque astricta pronuntiatur. Cognosces, quam apta consentaneaque ellipsis sit animi affectioni.

Similis est locus apud eund. poet. II, 9, 28:

Dic, ubi tum, pro di, perfidus iste fuit? [2])

(cf. adnot. 2 in pag. anteced.) ubi interrogatio est querentis aliquid quod adesse optes non adesse.

Neque hoc dicendi genus neque illud in usu est apud Catullum.

Huc referendae sunt interrogationes, quae ad graviora pergentes complectuntur argumentum a contemptione minorum [3]), cf. Cat. 66, 47:

Quid facient crines, cum ferro talia cedant?

Prop. III, 12, 17.

Cum obiurgatione et reprehensione pronuntiantur et exclamationum significationem attingunt interrogationes, quae

---

waz sol mir guot unde lîp? apud Waltherum v. d. Vogelweide saepius, cf. in c. 3, v. 33 (ed. Pfeiff.): waz helfent bluomen rôt, sît ich nû hinnen sol? 41, 9: waz hilfet cet.? 64, 12; 81 init. in querela de corruptis depravatisque hominum moribus pulchre ac suaviter:

Waz sol lieplich sprechen? waz sol singen?
Waz sol wibes schoene? waz sol guot?

[1]) Eiusmodi interrogationes etiam usurpantur ut significetur aliquid non iam tantam quantam antea habere auctoritatem ac vim. Nonnulla exempla affero: Ovid. Amor. III, 8, 18; Ars amat. I, 703; Fast. III, 485: heu ubi pacta fides? ubi quae iurare solebas? Heroid. II, 31 sq.; IV, 150; VI, 41 sq.; XII, 103; Metam. XIII, 92; Trist. IV, 3, 53; Verg. Aen. V, 391; X, 897; Cic. Verr. V, 104: ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dexterae complexusque? Plaut. Merc. V, 4, 26; Ter. Andr. IV, 1, 13; Heaut. 256; Eurip. Phoeniss. 548, 1688; Suppl. 1135; cf. pulchrum locum ac suavem in lib. qui „Minnesangs Frühling" vocatur pag. 134, 36. Cf. etiam apud Walth. v. d. Vogelw. 86, 7.

[2]) Cf. Eurip. Orest. 1472: ποῦ δῆτ' ἀμύνειν οἱ κατὰ στέγας Φρύγες; cf. in lib. „Minnes. Frühl." pag. 166, 25: wâ nu getriuwer friunde rât? — Similiter ‚quo' et ‚ποῖ' omisso interdum verbo (esse, fugere, εἶναι, ἀποβαίνειν) usurpantur: cf. Hor. Od IV, 3, 17 sq.: quo fugit venus heu, quove color decens? Soph. Oed. Col. 335: οἱ δ' αὐθόμαιμοι ποῖ νεανίαι πονεῖν;

[3]) Cf. Juven. Sat. I, 107; II, 65.

formulam praebent sollemnem in re parum considerata ac stulta [1]), veluti: ,quis furor est, quae mens, quae amentia, quae dementia, quae insania' cet. Exempla sunt apud Cat. 40 init.; apud Tib. I. 10, 33; in Sulp. eleg. 2, 7.

Propertius, qui ab hoc dicendi genere se abstinuit, simili ratione usurpavit interrogationem obiurgationis plenam, qualem legimus I, 5, 3:

Quid tibi vis, insane? meae sentire furores?

Aliquid reprehensionis increpationisque sui in se habent interrogationes quae adhibentur, si is qui loquitur repente desistit et ad se redit [2]). Catullus et Propertius eiusmodi interrogationes non adhibuerunt, aliquoties in Pseudotibullianis reperiuntur et bis apud Tibullum, cf. apud hunc I, 8, 23:

Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?

et IV, 13, 17; Lygd. 6, vv. 27, 37, 51; Paneg. 147:

Quid moror? [3])

Quod ad interrogationem dubitativam attinet, cum quaerimus quasi ignorantes quid faciamus, quid potissimum aut quomodo aliquid dicamus, unde incipiamus, ubi desinamus, apud poetas nostros nihil fere exstat memorabile. Eiusmodi interrogationem dubitativam si alia sequitur vel plures, pulchre significatur qualis quantaque sit perturbatio animi in diversas partes fluctuantis, cf. Prop. III, 16, 5:

Quid faciam? obductis committam mene tenebris . . .

ubi poeta inopiam consilii ex rei necessitate ortam significare voluit; Cat. 64, 177, ubi interr. dubitativae pluries adhibitae sunt [4]).

---

[1]) Eiusmodi formulae persaepe reperiuntur apud Ovidium et Vergilium, cf apud Ovid. Amor. III, 14, 7; Ars amat. II, 361; III, 172; Metam. III, 531, 641; V, 13; VI, 170; Verg. Aen. II, 42, 519; IV, 595; V, 465 et 670; IX, 601; XII, 37; Eclog. II, 69; cf. etiam Curt. 8, 14, 41; Ter. Heaut. IV, 4, 80; Soph. Trachin. 882: τίς θυμὸς ἢ τίνες νόσοι;

[2]) Cf. Ovid. Heroid. II, 103: quid precor, infelix? Trist. V, 10, 51: quid loquor, ah demens?

[3]) Cf. Ovid. Amor. III, 6, 77: quid moror? Simili modo Hor. Sat. I, 6, 82: quid multa? Plaut. Men. III, 2, 19: quid multis verbis opus est? Ter. Andr. 99: quid verbis opus est? 114: quid multis moror? Eun. 568: quid multa verba? — Quod his locis varia interrogationis forma expressum est, recta oratione reddi potest: ne multa; ne multis, pluribus morer. — Eadem ratione legimus apud Walth. v. d. Vogelw. in c. 32, 24: wê waz spreche ich ôrenlôser ougenâne? 58, 17: waz hân ich gesprochen? owê, jâ haete ich baz geschwigen! cf. etiam c. 17, 28; 188, 32.

[4]) Cf. Soph. Oed. Col. 1254: τί δράσω; πότερον — ἤ; apud Ter. Phorm. 728 complures interr. dubitativae positae sunt.

Semel ab ,unde' incipientem facit eiusmodi interrogationem Prop. I, 18, 5:

Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?[1]
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?

Nunc pauca afferamus de conexu interrogationum, quae rhetorico modo adhibentur, cum aliis enuntiationibus.

Nonnumquam interrogatio non ad totam orationem, sed ad aliquam illius partem pertinet et satis vivide apodoseos munere fungitur, sive protasis expressa est enuntiato vere condicionali sive alia forma, quae condicionalis enuntiati vicem sustinet veluti ablativo absoluto, sive magis per se stare videtur. Haec dicendi forma non exstat apud Catullum, exstat apud Tib. et Prop.

Vulgarem formam, ubi protasis enunt. vere condicionali expressa est, habemus apud Tib. I, 2, 77 et 78:

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?

I, 8, 61 et 62; II, 3, 76 et 77; apud Prop. II, 6, 25 et 26; 12, 21; 30, 31 et 32; III, 11, 47; enuntiatum temporale antecedit: II, 32, 53; III, 18, 7; causale: II, 8, 39.

Ablativo absoluto continetur protasis apud Tibullum I, 8, 49[2]):

puero quae gloria victo est?

apud Prop. IV, 2, 24:

Meque virum sumpta quis neget esse toga?

Paratactica protaseos forma rarius usus est Tibullus, saepius et libenter Propertius; cf. apud Tib. II, 6 init.:

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?

apud Prop. II, 20, 27 et 28:

Cum te tam multi peterent, tu me una petisti:
Possum ego naturae non meminisse tuae?

II, 4, 29 et 30; I, 14, 21 et 22; III, 23, 22.

Transeamus nunc ad ea enuntiata interrogativa, quae in alius enuntiati locum succedant.

a) Compluribus locis apud Catullum et Propertium enunt. interrog. condicionalis enuntiationis munere fungitur. Nec mirum. Enuntiatio condicionalis sententiam incertam ac dubiam profert ita ut prope accedat ad enuntiati interrogativi vim ac

---

[1]) Cf. Cic. Rosc. Amer. 11, 29: quid primum querar? aut unde potissimum ordiar? Cf. Verg. Aen. I, 241; Theocr. II, 64: νῦν δὴ μούνη ἐοῖσα πόθεν τὸν ἔρωτα δακρύσω; ἐκ τίνος ἄρξωμαι;

[2]) Cf. Ovid. Metam. III, 654: Quae gloria vestra est, si puerum iuvenes, si multi fallitis unum?

significationem. Qua forma dispositio membrorum condicionalis compositionis vividior atque alacrior existit et quasi sermonis cuiusdam modo exponitur[1]). Cf. Cat. 12, 4:

Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte . . .

v. 6: *Non credis mihi? crede Pollioni . . .*

29, 9 et 10:

Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es impudicus et vorax et aleo.

i. e. Si hoc ferre et videre potes, tu ipse impudicus es . . . Prop. II, 9, 23:

Hic etiam petitur, qui te prius ante reliquit?
Di faciant isto capta fruare viro!

Vulgarem huius loci interpunctionem, quae in Baehrensii quoque editione servatur, utique rejiciendam esse censeo. Sententiam huius enuntiati admirationis et indignationis plenam nihil aliud nisi interrogandi signum decet. Gradatio quaedam inest in huius loci sententia. Poeta enim conqueritur Cynthiam non solum alium amare, sed etiam eum ardenter cupere, qui eam perfidiose reliquerit. Quam interpunctionem si comprobaveris, tum demum cognosces et perspicies, qualis quantaque in hoc disticho (vv. 23 et 24 artiore vinculo inter se cohaerere nemo negabit) insit acerbitas. Propertium libenter post eiusmodi interrogationes exclamationem posuisse, ex iis quae allaturus sum apparebit[2]).

Multo clarior et significantior fit non solum condicionalis vis enuntiati interrogativi, sed etiam nervosior apodoseos ratio, si in sequentibus, quae cum antecedentibus cohaerent, ‚tum' positum est. Hoc dicendi genus Prop. tantum usurpavit[3]).

[1]) E. g. cf. Hor. Od. I, 27, 9 sq. et 13; 28, 31; Epod XVI, 15; apud Ovid. Amor. II, 2, 18; Ars amat. I, 479; Heroid. XV, 305; Trist. IV, 3, 33; apud eundem pulchre variantur inter se enuntiatio interrogativa, quae condicionalem vim habet, et enunt. condicionalis: Rem. amor. 335 sq.; cf. ibid. 529 sq., 567; Mart. Epigr. II, 26, 3 et 4 (quem ad locum cf. Cat. 12, 4); III, 31 init.; III, 62, 7; IV, 74, 4; V, 16, 14, alibi. — Cf. etiam Ter. Phorm. 186: Loquar? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lavem.

[2]) Cf. etiam I, 5, 9 et 10. 25 et 26; cf. Cat. 43 in fine; 42, 13; 15, 14—17 (si — ah tum); Juv. Sat. VII, 150; Mart. Epigr. VII, 30, 7; XI, 93, 2.

[3]) In recta oratione II, 13, 16 post en. condic. apodosin per ‚tum' effert. — Cf. Goethium in eleg. Romana VII:

Bist Du der wirthliche Gott? O dann, so verstosse den Gastfreund
Nicht von Deinem Olymp wieder zur Erde hinab!

et in iis carminibus, quae nos Germani „Sonette" dicimus, III init.:

Sollt' ich mich denn so ganz an sie gewöhnen?
Das wäre mir zuletzt doch reine Plage.

Cf. II, 7, 9 sq.; II, 20, 28, quem locum totum a v. 27—32 adponere mihi liceat:

Cum te tam multi peterent, tu me una petisti:
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erinyes et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio,
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.

Primum summa cum asseveratione poeta negat se umquam puellae tam benigni animi liberalisque ingenii oblivisci posse; deinde, si mentitus sit, poenae imprecationem adiungit. Hoc loco interrogatio idem valet quod in sponsionibus enuntiatum per ‚si' prolatum. Observes poetam magna cum vi per praesentis tempora directiore voti significatione uti.[1] — Huc referendus est etiam locus apud Prop. II, 16, 3:

Non potuit saxo vitam posuisse Ceraunо?
A Neptune, tibi qualia dona darem!

i. e. Si illum praetorem undis obruisses, tibi gratiam haberem maximam. — Sed si accuratius investigaverimus huius loci sententiam, inveniemus orationem petentis magis quam paciscentis esse.

Ne illud quidem praetermittam singulis locis apud Tib. et Prop. quod interrogatione praemissa expressum sit, id statim breviter condicionali forma comprehendi; cf. apud Tib. I, 2, 81 sq. Praemissae sunt interrogationes per ‚num' formatae, statim sequitur in v. 85:

Non ego, si merui, dubitem cet.

apud Prop. II, 30, 23 et 24:

Unum contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit[2].

b) Concessivi enuntiati vis subiecta est interrogationi apud Catullum 65, 9:

Nunquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac? at certe semper amabo.

Similem locum reperi in Sulp. eleg. 2, 9 sq., ubi interrogationem ‚quid iuvat' sequitur: ‚Sed tamen'[3].

---

[1]) Similem structuram recta oratione expressam v. IV, 7, 53; 11, 27, alibi.

[2]) Hic locus affert mihi memoriam similis sententiae, quae simili modo atque apud Prop. expressa est in eleg. Rom. Goethii nostri: „und bin ich etwa nicht schuldig? Doch, ach! schuldig nur bin ich mit dir!"

[3]) Cf. e. g. Ovid. Ars amat. I, 475:
Quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Apud Prop. II, 25, 11 sq. interrogationem ‚Nonne fuit satius' sequitur ‚Sed tamen obsistam'. Qui ita loquitur sententiam interrogatione expressam concedit quidem, sed tamen corrigit eam aliqua ex parte (‚sed tamen', ‚at certe' particulae graviorem oppositionem indicant).

Huc nescio an spectet locus apud Prop. III, 16, 5 sq.[1]):

Quid faciam? obductis committam mene tenebris
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si distulero haec nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.

Particula ‚at' refertur ad suppressam sententiae partem; poeta loquitur quasi praecederet: non committam. Post interrogativum ‚committam' exspectatur negativa responsio.

c) Enuntiatum interrogativum pro adversativo positum esse videtur semel apud Cat. 47, 6 vv. 5—7:

Vos convivia lauta sumptuose
De die facitis? mei sodales
Quaerunt in trivio vocationes?

Alterum enuntiatum interrogativum minoris est momenti, alterum maiorem in se habet vim, ut primario non male subiungere possimus enunt. secundarium, quod idem valet atque enuntiatum adversativum per ‚cum' formatum.

d) Idem poeta semel pro enuntiato adhortativo adhibuit interrogationem sine interrogandi nota prolatam in c. 62, 6:

Cernitis innuptae iuvenes consurgere terra? [2])

Multo saepius poetae interrogationes adhibuerunt ad vividam dehortationem exprimendam. Interrogatione cum affectu prolata expressum est acrius imperandi genus apud Lygd. 6, 57:

cessas, o lente minister? [3])

i. e. move te ocius! propera! (quicum cf. v. 62). Sequitur coniunctivus iussivus.

Vix opus est ut moneam interrogationes, in quibus ‚quid' cum secunda persona indicativi praesentis coniunctum est, saepissime ita usurpari ut iis aliquis admoneatur ne quid faciat

---

[1]) Cf. Ovid. Heroid. II, 99 sq.: Exspectem? et tamen exspecto.

[2]) Similiter ‚viden' formula pro imperativo adhortativo in usu est. De hac re iam in priore parte diximus

[3]) Cf. Ter. Phorm. III, 3, 32: ‚cessas?' — saepius legimus ‚quid cessas?' cf. apud Tib. II, 2, 10; Ter. Andr. V, 6, 15: quid stas? quid cessas? Phorm. V, 6, 42; Verg. Aen. XI, 389; Hor. Sat. II, 3, 155: tu cessas? sequitur imperativus per ‚agedum' inductus.

vel ut facere desistat et idem fere significare quod imperativum cum negatione coniunctum. Hoc dicendi genus est usitatissimum, ut e copia exemplorum unum alterumve breviter afferre satis habeam; e. g. cf. Prop. II, 20 init.: *quid fles?* alacriore modo idem quod Catullianum (61, 82) ‚flere desine' significat vel Tibullianum (I, 8, 67) ‚desistas lacrimare' (cf. apud Prop. IV, 11 init. ‚desine lacrimis urgere'), Prop. III, 11 init.: *quid mirare?* idem quod e. g. apud Cat. ‚noli admirari' et ‚desine adm.' (69, 1 et 10). Alia exempla colligas velim ex locis iam in priore parte allatis, ubi de voce ‚quid' locutus sum.

Nonnulla adicio quae commemoratione digniora mihi videntur.

Apud Catullum 33, 5 formulae exsecrabilis munere fungi videtur interrogatio:

Cur non exilium malasque in oras
Itis?

quae eadem vi, qua facere aliquid aliquem imperiose vel contemptim iubentes interrogamus, hoc loco usurpatur; cf. c. 14, 21: ‚Vos hinc interea (valete) abite illunc, unde cet.' et 27, 5. Cf. etiam apud comicos ‚abi in malam rem!' ‚abi in malam crucem!' vel interrogationis forma apud Ter. Andr. II, 1, 17: ‚abin hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus?' Cic. Phil. XIII, 48: ‚quin tu abis in malam pestem malumque cruciatum!'

Propria vis ad eiusmodi interrogationes accedit cum sententiae, quae modo interrogationis forma expressa negativam imperativi dehortativi vim habet, statim adicitur imperativus adhortativus.

Exempla satis rara sunt; cf. Tib. II, 2, 10:

En age, quid cessas? annuit ille: roga [1]).

Tantum abest ut interiectis verbis ‚annuit ille' huius loci vis perfringatur ut adhortatio augeatur. Clarius enim significatur nullam esse cessandi causam. (‚annuit' praesens pro fut. in re certa positum est.)

IV, 14, 4:

Quid miserum torques, rumor acerbe? tace [2]).

---

1) Cf. Ovid. Trist. V, 2, 37: quid dubitas et tuta times? accede rogaque; cf. Mart. Epigr. IX, 93 init.; XI, 36, 5.

2) Cf. Verg. Aen. III, 41: quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto; cf. Soph. Oed. Col. 1271 sq.: τί σιγᾷς; φώνησον, ὦ πάτερ, τι· μή μ' ἀποστραφῇς.

Eiusmodi interrogationi semel apud Tibullum imperativus adhortativus antecedit I, 2, 99 et 100:

At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?[1])

(etiam h. l. observa enuntiatum affirmativum interpositum esse inter imperativum et interr.) — Alacriore ac vehementiore forma exprimitur illud Horatianum: ,ne tua vineta caede' i. e. noli me diutius inclementer tractare et te ipsum detrimento afficere.

Sed etiam alia eaque non vulgaris ratio aliquem graviter ac vehementer adhortandi nobis occurrit apud Catullum et Propertium, qui duas interrogationes iuxta posuerunt ita ut altera cum dehortativa, altera cum adhortativa vi eandem fere sententiam proferat[2]); cf. Cat. 76, 10 sq.:

Quare cur te iam iam amplius excrucies?
Quin tu animum offirmas atque istinc tete reducis[3])
Et deis invitis desinis esse miser?

apud Prop. I, 4 init.:

Quid mihi tam multas laudando, Basse puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris vitae quodcumque sequetur
Hoc magis assueto ducere servitio?

et I, 16, 17 sqq.[4])

His locis Propertianis, ut saepius apud eundem poetam, cui in deliciis fuit παραλληλισμὸς membrorum, agnosces pulchram atque artificiosam verborum concinnitatem.

Ac ne illud quidem praetereundum esse puto quod legimus apud Cat. 55, 14 sq.:[5])

Tanto ten fastu negas, amice?
Dic nobis ubi sis futurus, ede
Audacter, committe, crede lucei.

---

1) Similiter Theocr. idyll. XI, 75; XXVII, 51: θάρσει, κῶρα φίλα. τί μοι ἔτρεμες; ὡς μάλα δειλά. Cf. apud Walth. v. d. Vogelw. c. 27, 25:

Genaedelîchiu Minne, lâ!
war umbe tuost dû mir sô wê?

c. 121, 7 sq.; in libro, qui „Minnes. Frühl." vocatur, pag. 194, 28:

lâ stân, lâ stân! waz tuost dû?

2) Cf. apud Ter. Eun. III, 2, 12: quid stamus? quor non imus hinc?

3) Ab hoc Catulli loco derivata videntur quae legimus apud Ovid. Metam. IX, 745:

Quin animum firmas teque ipsa recolligis, Iphi?

4) Cf. ad sententiam Tib. I, 2, 9 et 10.

5) Idem poeta in recta oratione ut graviter adhortaretur duos imperativos et positivum et negativum simul posuit, cf. 61, 196: perge, ne remorare; cf. Tib. I, 1, 67: ne laede, sed parce cet.

Etiam hoc loco, quod ,in simplici oratione imperativo prohibitivo exprimeretur, poeta admirationis et obiurgationis affectu commotus alacriore interrogationis forma profert.

Propertius etiamsi vividiore interrogationis forma ad aliquem dehortandum ut hoc vel illud ne faciat eodem modo atque Catullus et Tibullus usus est — qui poetae rarius, ut modo vidimus, hoc dicendi genere usi sunt — tamen aliquid in hac re habet proprietatis, quod frustra quaeras apud illos. Eiusmodi interrogationi adiungit enuntiatum negativum non solum ut accuratius illustret quid sit cur aliquem ab aliqua re dehortetur, sed etiam ut confirmet, quam inutile sit alicuius consilium vel actio. Cf. Prop. II, 30 init.:

Quo fugis, a demens? [1]) *nulla est fuga* cet.

III, 7, 18 et 19.

Saepius in hoc dicendi genere eam iniit rationem, ut interrogatio hexametro concludatur, pentametro enuntiatio negativa, in qua ,non' negatio primum obtinet locum [2]), cf. III, 1, 13 et 14:

Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.

III, 9, 3 et 4:

Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.

IV, 1b init. [3])

Cf. etiam II, 20 init., ubi per duo disticha interrogatio continuatur, sequuntur duo disticha, quibus poeta Cynthiam docet, quam nihil ei conveniat flere, eamque admonet ut flere et queri desinat.

Adicio hoc. Propertius, quem iam paulo ante vidimus sententiae negativae, quae alacriore interrogationis forma pronuntiatur, aliam adicere recta oratione expressam, qua clarius fit, quid sit quod poetam incitaverit ad antecedentem interro-

---

1) Cf. Ovid. Heroid. VII, 47: quo fugis? obstat hiems. — Ut Propertio, sic etiam Ovidio in deliciis est interrogationem rhetoricam per ,quo' formatam simili significatione usurpare atque interr. per ,quid' prolatam; hic poeta saepius ad augendum et amplificandum eiusmodi interrogatione praemissa posuit imperativum, cf. Amor. I, 13, 3: quo properas, Aurora? mane; Metam. III, 477: quo refugis? remane; Heroid. X, 35: quo fugis? revertere.

2) Cf. Mart. Epigr. X, 91, 3 et 4.

3) Cf. Hor. Od. III, 3, 70: quo, Musa, tendis? desine cet. (Goeth. eleg. VII: „Dichter! wohin versteigest du dich?")

gationem proferendam, ad hanc ipsam adiungit aliquoties affirmativam, qua quid potius faciendum sit significatur; cf. III, 3, 15 sq.:

Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi sperandast fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis cet.

in eodem c. vv. 21 sq.:

Cur tua praescripto sevectast pagina gyro?
Non est ingenii cymba gravanda tui. . . .

Cf. etiam I, 2 init., qui locus paulo post mihi accuratius considerandus erit, et II, 34, 29 sq. Nec minus peculiare est quod idem poeta, quod antea interrogationis rhetoricae forma expressit, id statim cum vi et gravitate recta oratione copiosius exponit. Duobis modis idem fere dicitur: primum alacriter ac vivide interrogatur, deinde graviter ac vehementer affirmatur, plerumque ita ut eximius existat παραλληλισμὸς membrorum.

Cf. I, 2, 1—6, ubi poeta Cynthiam admonet ut desistat formae medicinam adhibere: Singulas interrogationes, quae vv. 1—6 explent, sequitur unum distichon, quo antecedentia generatim comprehenduntur, quasi quaedam ἀνακεφαλαίωσις. Ad probandam sententiam modo prolatam in v. 9 sq. per ‚aspice' formulam praesentis nec longe petiti exempli poeta Cynthiae naturam ad imitandum proponit [1]).

Porro cf. I, 14, 15 et 16:

Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere!

II, 7, 13; 34b, 29 et 30:

Aut quid nunc Tei tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuvat in magno noster amore senex.

Memorabilis locus est apud eundem poetam II, 6, 37 sq.:

Quor igitur tibi custodes per limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Observes quaeso hoc loco post interrogationem rhetoricam inveniri ‚nam' positum, quod Tibullus quoque uno loco habet, cf. I, 2, 79 [2]).

---

[1]) In hoc versu tradita scriptura ‚quos submittat' optime se habere mihi videtur. Item apud Ovid. et Verg. post ‚aspice', quod persaepe usurparunt, plerumque invenitur coniunctivus.

[2]) Simili modo Tib. usurpasse mihi videtur ‚certe' post interrogationem, cf. I, 4, 3.

Jam dicam de iis interrogationibus, quae exclamationis vi ac sensu explicari possint [1]). Quae cum satis usitatae sint apud alios quoque poetas et scriptores, hoc loco quae de iis dicenda sunt paucis absolvi possunt. Eas imprimis interrogationes, quae non ad certam personam pertineant, saepius in exclamationis vim transire satis notum est. Illud tantum hic monere mihi liceat Catullo in deliciis esse eiusmodi interrogationes, cf. 61, 46, 64 sq.; 62 vv. 20, 25, 26, 30; in fine c. 9 et 45; 107 extr., ubi sic scribendum esse suspicor:

Quis me nunc vivit felicior, aut magis hac re
Optandum in vita dicere quis poterit? [2])

Interdum eiusmodi interrogationibus interiectiones aut particulae praemittuntur ad augendum sive laetitiae sive doloris sive admirationis cum indignatione coniunctae vehementiorem affectum. Omnino hoc potissimum dicendi genus cur maxime familiare sit poetis elegiacis facile intellegimus.

Apud Catullum ,o' praecedit interrogationi, ut graviter simulque blande laetitia exprimatur, in c. 9 v. 11:

O, quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve? [3])

Observa mecum h. l. inter ,o' et ,quid' interiecta nonnulla verba, quae ad sententiam enuntiati interrogativi proxime sequentis amplificandam pertinent. Cf. c. 31, 7:

O quid solutis est beatius curis?

Apud eundem poetam ,eheu' praemissum est in c. 30, 6:

Eheu quid faciant sic homines cuive habeant fidem?

Apud Tib. II, 3, 80 ,heu miserum' antecedit interrogationi:

Heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?

In media interrogationis parte post alia verba posita est ,pro di' exclamatio [4]) apud Prop. II, 9, 28:

Dic, ubi tum, pro di, perfidus iste fuit?

---

[1]) Quasi ἐν παρέργῳ breviter affero saepius apud Catullum (cf. 43 extr.; 64, 178 sq.; 66, 47 sq.) et Propertium (cf. I, 3, 35 sq.; II, 23, 11 sq.; 33, 26 sq.; III, 12 init.; 20 init.), raro apud Tibullum (cf. I, 10 init.) enuntiata interrogativa et exclamativa interiore conexu inter se cohaerere, plerumque ita ut praemittatur interrogatio cum affectu quodam prolata, sequatur exclamatio.

[2]) Codex O habet: ,Quis me uno vivit felicior aut magis hac ē Optandus vita dicere quis poterit'. Eadem G, nisi quod in fine hexametri legitur ,magis me est'. ,nunc' coniecit Peiperus, ,optandum in vita' Statius.

[3]) Cf. apud Ter. Phorm. V, 6, 13: O hominum, quantum est qui vivont, homo hominum ornatissume!

[4]) Talis obtestatio invenitur e. g. apud Theocr. idyll. I, 12: λῇς ποτὶ τᾶν Νυμφᾶν cet.; V, 74 (πὸτ τῶ Διός); Eurip. Orest. 92, ubi ,πρὸς θεῶν' interrogationi praemissum est; Ter. Heaut. 256: o Juppiter, ubinamst fides?

Statim hoc loco affero ‚en age' apud Tib., quod interrogationi praecedit ad vehementius excitandum: II, 2, 10:

En age, quid cessas?

Orationi interrogativae admixtae sunt imprimis ante vel post nomen adiectivum σχετλιαστικὸν ‚a', ‚hei', ‚heu' voculae in rebus quae non sine magno dolore percipiuntur vel in tristitiae recordatione, cf. apud Cat. 64, 155; Tib. I, 8, 23:

Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?

Lygd. 6, 27; Prop. I, 3, 37; II, 30, 1, alibi.

In annotatione mihi liceat hoc dicendi genus copiosius illustrare nonnullis exemplis ab aliis repetitis[1]).

Restat ut dicamus etiam de responsione et commemoremus quid in hoc genere notabilius habeant poetae nostri.

Praebent autem carmina eorum interdum vivi sermonis simulacrum quoddam, cum poeta sive aliis sive sibi ipsi proponit interrogationem ita ut eum non narrantem audire quae gesta sunt, sed quomodo res ante oculos nostros gerantur prorsus videre nobis videamur. Figuram habemus quae ‚communicatio' (Graece διαλογισμὸς vel ἀνακοίνωσις) dicitur; ea enim dialogi formam imitatur, ut qui audiunt sermonis participes facti videantur quasi cum iis qui loquuntur deliberantes.

---

[1]) Vehementius quam ‚ah' et ‚o' sonantia ‚heu', ‚eheu' vocabula σχετλιαστικὰ saepius apud Ovidium reperimus, cf. Amor. III, 8, 18; Fast. III' 485; Heroid. IV, 150, alibi; apud Verg. Eclog. III, 100; Aen. II, 61; apud Hor. Sat. II, 3, 156; 8, 61; cf. etiam pulchrum locum apud Ennium, ubi Philoctetes auxilium expetens, mori cupiens exclamat: Heu! quis falsis fluctibu' mandet me ex sublimi vertice saxi? Cf. Cic. de offic. I, 39, 139. — Apud comicos Latinos persaepe ‚ah', ‚heu', ‚eheu', ‚heus' antecedunt interrogationi fortius ac vehementius ex animo graviter affecto prolatae. Apud tragg. Graec. saepissime οἴμοι τί δράσω; cf. Soph. Oed. Col. 1254; Phil. 1350; Eurip. Med. 1271; Orest. 1610; Phoen. 1310; similia sunt apud Theocr. idyll. III, 24: Ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω; τί ὁ δύσσοος; II, 55: αἰαῖ Ἔρως ἀνιηρέ, τί μευ cet.; Mosch. IV, 6: ὤ μοι ἐγώ, τί cet.; Eurip. Phoen. 1509 sq.: Ἰώ μοι cet.; Androm. 1076: Ἆ ἆ τί δράσεις, ὦ γεραιέ; Hom. Od. V, 465; Il. XI, 404. — Etiam Germanorum poetis amatoriis eiusmodi interrogationes in deliciis sunt. Persaepe apud eos interrogationes legimus, quibus praemissum est ‚wê', ‚owê' non sine miseratione, cf. in carm. amat. collect. quae „Minnesangs Frühling" vocatur (ed. Carol. Lachm. et Maurit. Haupt.): pag. 37, 16: owê wan lânt si mir mîn liep? 135, 9; 136, 1; 138, 21; 139, 11; 143, 1 et 22; 179, 11 et 23; apud Walth. v. d. Vogelw. 17, 28; 18, 3 et 12; 70, 6; 92, 10; 188, 2); alibi. Cf. velim apud eundem 22, 41: Jâ hêrre, wes gedenket der, cet. — Multo autem saepius apud poetas nostros eiusmodi interiectiones proprium locum obtinent in exclamationibus, ut apud Catullum: 8, 15; 9, 5; 14, 12 sq.; 15, 27 sq.; 66, 30; Tib. I, 4, 81; 8, 5; II, 1, 70; 3, 5, 17 sq.; 4, 35; 5, 108; Lygd. 3, 25 sq.; Prop. I, 1, 38; 6, 12; 11, 30; 15, 42; 16, 27; 18, 21 sq.; II, 4, 1; 7, 11; 16, 4; 21, 1; 23, 12; 33, 27 et 35; III, 1, 7; alibi.

Jam exemplis illustrabimus, qua ratione poetae elegiaci illa adiumenta et subsidia rhetorica adhibuerint.

Discernendum nobis est inter eam figuram rhetoricam, quae ,sermocinatio' (προσωποποιΐα) nominatur -- alias personas a nobis fictas interrogantes facimus et statim nobis ipsi respondemus et rationem reddimus — et inter eam quae ,subiectio' (ὑποφορά, ἀνθυποφορά) vocatur — interrogamus adversarios aut quaerimus ipsi a nobis et ad interrogata ipsi nobis respondemus.

Praecipuo cum studio sermocinationem adhibuit Propertius a ,quaeris,' ,quaeritis' interrogationem incipiens. Tibullus ab huius pathetici dicendi schematis usurpatione se abstinuit. Cf. apud Propertium IV, 8, 36:

Quaeris concubitus? inter utramque fui [1]).

Hic uno eodemque pentametro continentur breves interrogationis incisiones et responsionis. Simili modo apud Catullum quasi in duas partes versus dividitur 42, 7:

Quae sit, quaeritis? illa, quam videtis cet.

Artificiosius interrogatio hexametro, responsio pentametro inclusa est apud Prop. II, 22, 13 et 14:

Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
Quod quaeris ,quare?' non habet ullus amor.

Respicias velim sequentia, ubi poeta ipse per ,cur' interrogat antecedentia disertius exponens et iterum ipse respondet v. 17:

Unicuique dedit vitium natura creato [2]):
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

Cf. Cat. 85:

Odi et amo quare id faciam, fortasse requiris [3]).
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

---

1) Saepius Ovidius interrogationem et responsionem ita collocavit ut eae finibus exiguis sane unius eiusdemque versus contineantur.

2) Cf. ad sententiam Cat. 22, 20.

3) Eiusmodi interrogationes apud Ovidium permultae reperiuntur, cf. Trist. V, 7, 5:

Scilicet, ut semper, quid agam, carissime, quaeris:
Quamvis hoc vel me sciro tacente potes.
Sum miser: cet. — Cf. Trist. V, I, 79 et 80; Heroid. V, 130; XVIII, 39; ex Ponto I, 1, 13; Fast. III, 765; VI, 551; Metam. VII, 757; Amor. I, 10, 11; Rem. amor. 161 sq. Apud Martialem quoque satis usitatae sunt, cf. I, 57 init.; VI, 53, 3 et 4; 88, 3 et 4; VII, 3; XI, 9, 1, alibi.

Ad hunc locum cf. statim 72, 7 et 8.

Duobus his locis enuntiato interrogativo causa, cur id, quod esse vel fieri modo dictum est, sit vel fiat, quaeritur.

Singularis huius generis species est ea, ut toto disticho et interrogatio et responsio contineatur ita quidem, ut alterius distichi hexametro generatim et negative respondeatur, pentametro specialiter et affirmative. Cf. Prop. II, 1 init.:

Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
Unde meus veniat mollis in ora liber.
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Eiusdem rationis est locus III, 13, 1—4.

In c. 22 libri I interrogationem, quae duos versus explet, sequitur responsio per octo versus continuata. Ceterum totum carmen ex interr. et responsione constat, similiter c. 7 apud Catullum. Praeterea cf. Prop. II, 27 init. et II, 31; apud Cat. 67, 37 usque ad fin.

Quod ad ‚subiectionem' attinet, hoc dicendi genus poetae nostri adhibuerunt non solum cum alios interrogant et statim ipsi responsionem addunt, cf. Cat. 88 et 104 [1]); Tib. I, 9, 67 sq.; Prop. II, 29, 31; sed etiam cum ipsi interrogant se et sibi ipsi statim respondent. Nascitur hoc modo ‚soliloquium' [2]).

Exempla sunt apud Cat. 1 init.:

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi —

100, 5; praeterea cf. 22, 12 sqq.; 80 init., ubi poeta se ipse interrogans, quid sit cur Gellii labra miro niteant candore, primum generaliter dicit se ignorare, at certe aliquid esse; deinde per coniecturam profert interrogationem, cui statim affirmativam addit responsionem: *Sic certe est.* Cf. v. 5: *Nescio quid certe est* cet.

Propria accedit vis soliloquio, si poeta ipse saepius se interrogat et per singulos versus responsionem addit, cf. Cat. 64, 178 sq.

---

[1]) Observabis Catullum idem verbum, quod in interrogatione posuit, posuisse in responsione quasi per ἀναφορᾶς figuram. Quam ad rem praeterea cf. apud eund. poet. 12, 6; 37, 7 sq.; 40, 6 et 7; 77 init.; similiter Prop. uno loco: II, 8 b, 17 et 18. Cf. etiam Mart. XI, 27, 13 et 14.

[2]) E. g. cf. Theocr. XXII, 25 sq. et Bergk. Sapph. frg. 104.

Illud hoc loco restat ut verbum addatur de percontatione, quae κατ' ἐξοχήν vocatur ,ratiocinatio'. Catullus tantum hac orationis forma usus est, ut quod antea contendit comprobaret, cf. 6, 12 et 13; 92, 3: *Quo signo? quia* cet.

Paucis locis interrogationes eiusmodi, quas statim responsio sequitur, non ad certam personam referendae sunt, sed generaliter proferuntur; cf. apud Tib. pulchrum atque illustrem locum I, 10 init.:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!

Prop. II, 33, 5 et 6:

Quae dea tam cupidos totiens divisit amantes?
Quaecumque illa fuit, semper amara fuit.

Apud Cat. cf. 66, 15 sq. et 18:

Estne novis nuptis odio Venus? anne paventes
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, iuverint.

Hoc loco id dicendi genus habemus, quo poeta ad interrogationem disiunctivam ipse respondet ita ut alteram tantum interrogationis partem respiciat; responsio ad posteriorem quaestionis partem ut potiorem referenda est.

VITA.

Oscarus Wolff natus sum Ratiboriae, in urbe provinciae Silesiae, a. d. VI. Non. Jul. a. h. s. LVI patre Guilelmo, matre Albertina e gente Prassol, quos superstites esse vehementer gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Literarum rudimentis imbutus in urbis patriae gymnasium regium receptus sum. Unde maturitatis testimonio instructus autumno a. LXXV ut in philologica studia incumberem Vratislaviam me contuli, ubi per tria semestria interfui scholis vv. ill. *Bobertag, Dove, Hertz, Reifferscheid, Rossbach, Weber;* deinde Lipsiam profectus per bis sex menses operam dedi lectionibus vv. ill. *G. Curtius, Fricke, Fritzsche, Gardthausen, Hildebrand, O. Ribbeck, Zarncke;* tum Berolini per duo semestria albo civium academicorum ascriptus aestate tantum cum aliorum vv. doctiss. tum *E. Curtius, Zeller* scholas audivi, per tempus hibernum valetudinis imbecillitate domi apud parentes remanere coactus eram; denique m. Maio exeunte Halas migravi, ubi per tria semestria interfui scholis vv. ill. *Dittenberger, Duemmler, Haym, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Keil, Krohn, Zacher.* Seminarii philologici exercitationibus ut interessem benigne permiserunt vv. doctissime eruditi *Dittenberger, Hiller, Keil.* Quibus omnibus viris optime de me meritis, imprimis v. ill. *Hillero,* gratiam habeo quam maximam semperque habebo.

Typis S. Schottlaender, Vratislaviae.